








2
6
33

















FRANCISCVS DE ROYE

ANTECESSOR ANDEGAVENSIS

Ad Capit. Super ſpecula. 28. de Priuil. & exceſſ. Priuil. apud Gregor.

VBI

Apologeticus pro omnibus Galliarum Anteceſſoribus, contra Pariſienſes Canonici Iuris Profeſſores.





ANDEGAVI,
Apud PETRVM AVRIL, Regis & Academiæ Typographum.

M. DC. LXV.



AMICO LECTORI.



Ic reſpondere volo, non laceſſere (AMICE LECTOR) & ideò ſi quid mihi excidat, quod in aliquem ſcriptum ſit inclementiùs,

ſic exiſtimet,

Reſponſum, non dictum eſſe, quia læſit prius,

Pariſ. facultas iuris canonici: Dum quotidiè nonnihil tentat, in omnium totius Galliæ Anteceſſorum necem. Iàm totiès eius Profeſſores ius ciuile aggreſſi ſunt in ſuis Scholis: Et vnum illud, ſubceſſiuis horis, ſemper prohibitum docere volueram, ad celeberrimum *capit. ſuper ſpecula. 28. ex. de Priuil.* Sed cùm ab ijs recedant, quæ per manus tradita ſunt, & contrà leges regni, contrà ſuam inſtitutionem, & vt loquuntur ſuâ etiàm inuitâ Mineruâ, nouum quid comminiſcantur in dies, putà *in iure ciuili gradus concedere, ſuos canonici iuris auditores ad forum dimittere, omnibus iuris ſtudioſis imponere ſuperindictionem*: Ea omnia vno, vt aiunt, tenore aggrediar. Multos quidem fautores habent, vel etiàm maioris laterculi: Sed cum ad Senatum Ampliſſimum rejecta ſit iſtius rei cognitio, θαῤῥεῖτε, οὐδὲν οὐ μὴ γένηται ἄδικον, δικαιοσύνης ταύτης συμπαρούσης *confidite, nihil fiet iniqui, hac præſente iuſtitia.*



CAPITVLVM 28.


De Priuileg. & Excess. Priuileg. apud Gregor.

HONORIVS TERTIVS.

Capitulo Parisiensi, & cæteris Prælatis Parisijs constitutis.

SVper specula, & infrà. Sanè licet sancta Ecclesia legum sæcularium non respuat famulatum, quæ satis æquitatis & Iustitiæ vestigia imitantur: Quia tamen in Francia, & nonnullis Prouincijs, laici Romanorum Imperatorum legibus non vtuntur, & occurrunt rarò Ecclesiasticæ causæ tales, quæ non possint statutis Canonicis expediri: Vt pleniùs sacræ paginæ insistatur, (& discipuli Elisæi liberiùs iuxtà fluenta plenissima residcant: vt columbæ, dum in ianuis scalas non inuenerint, ad quas diuaricare valeant pedes suos:) Firmiter interdicimus, ne Parisijs & in Ciuitatibus, seu alijs locis vicinis quisquam docere vel audire ius ciuile præsumat: Et qui contrà fecerit, non solùm à causarum patrocinijs interim excludatur, verùm etiàm per Episcopum loci, appellatione postposita, excommunicationis vinculo innodetur. (Vos autem filij, sic diligentiùs præcepta seruetis, & faciatis studiosiùs ab alijs obseruari, quòd veri amici sponsi possitis meritò comprobari, dum paranymphos suos erudiendos ad Epithalamica carmina curaueritis promouere.) Datum Romæ, Pontificatus nostri anno quarto.

INDEX CAPITVM.



CAPVT I.

Expenditur illius Capituli Epigraphe. Illius expositio repetitur à Turon. Concilio sub Alexandro tertio. Interdictum Monachis legum & Physicæ studium. Ratio prohibitionis.



Via sæpiùs dubitatur, an quædam epistola Pontificia sit Decretalis, & quinam sit illius author, *vt est in proemio Sexti:* Ideò cum exponendum incumbit capitulum aliquod ex libris Decretalium Gregorij noni, tum primùm inquirere iuuat in illius inscriptionem: vt cum ex ea constiterit cujusnam illud sit Concilij aut Pontificis, quònam & ad quos mittatur, ex æqualibus & indigenis scriptoribus deprehendatur, quænam fuerit illius edendi occasio, quænam singularis ratio, quænam sententia. Nostrum illud *cap. Super specula. 28. ex. de Priuil.* est Honorij tertij summi Pontificis, & extat *in cap. 3. eod. tit. in 5. Compil.* Illud in veteribus notis ad vulgarem editionem missum dicitur in Galliam *ad Parisiense Capitulum & alios Prælatos Parisijs constitutos*: & datum Romæ *anno 4. Pontificatus Honorij tertij*, vt obseruat doctissimus Cironius *ad d. cap. 3.* Tempus illud excurrit *ad annum* 1220. quo vacabat Paris. Episcopatus per mortem *Petri secundi de Nemours*: ideoque fortè illud sede vacante mittitur ad Paris. capitulum, in quo tunc temporis magna erat dissensio super Episcopi electione, vt scribit *Robertus Altissiodor. in Chronico.* Et sic nostra illa Decretalis epistola Honorij tertij edita est, regnante adhuc Philippo Augusto, quippe qui decesserit tantùm *an. 1223.* vt author est *Rigordus eius æqualis.*

Nostrum illud cap. omninò iungendum est cum *cap. vlt. ex. ne Cler. vel Mon. sæcul. neg. se immis.* Et cum *cap. vlt. de Mag. ibid.* quæ sunt eiusdem Honorij tertij, & desumpta videntur ex eadem eius Decretali epistola, cum in hac Gregoriana compilatione ab ijsdem verbis

incipiant *super specula*, & se inuicem consequantur. Sed vt iuris progressus & historia nostri Capituli faciliùs intelligantur, altiùs ea repetenda sunt ex Turon. Concilio sub Alexandro tertio, quod extat *in cap. 3. ex. ne Cler. vel Mon.* statim enim Honorius tertius *cap. illud* 3. interpretatur *in d. cap. vlt. ibid.* Hoc quidem præmonuit olim Rebuffus *in tractatu nominat. quæst. 5. num. 15.* sed ad prauam illationem, vt videbimus *cap. 3.*

In eo Turon. Concilio (cuius Canones debentur Guillelmo Neubrigensi *lib. 2. de reb. Anglic. cap. 14.*) Alexander tertius prohibet, ne quilibet religiosi post votum religionis & professionem ad Physicam legesve mundanas legendas exire permittantur. Verba edicti breuiter expendamus. In eo *Physicæ* verbum nec pro naturali Philosophia sumitur, nec pro Magia, sed pro Medicina. Hoc indicat prætextus quo religiosi vtuntur in hoc cap. *Sub obtentu languentium fratrum consulendi corporibus*: Hoc etiam probant ea verba *ad physicales confectiones ponderandas.* Sic Physica & Medicina promiscuè vsurpantur *in cap. 7. ex. de ǽt. quat. & ord. præf.* Pasquierus, Boetius Epo, & Menagius obseruant ex nostra Gallia prodijsse, vt Medici dicantur Physici: & ijs addere iuuat verba illa Orderici Vitalis *lib. 3. hist. Eccles. ad an.* 1059. *Eodem tempore Rodulphus cognomento mala corona Vticum venit.* Et paulò post. *Physicæ quoque scientiam tam copiosè habuit, vt in vrbe Salernitana, vbi maximæ Medicorum Scholæ ab antiquo tempore habentur, neminem in medicinali arte sibi parem inueniret.* Idem *lib. 5. lib. 7. & lib.* 11. artem Medicam vocat, *artem Physicam.* Et eo ipso tempore Rigordus Gesta Philippi Augusti describens se ipsum vocat *professione Physicum*, id est, Medicum.

In eo etiam capitulo leges accipiuntur pro Iure Ciuili Rom. pro legibus Rom. quæ sæpiùs in Iure Canonico simpliciter dicuntur *leges*, vel κατ᾽ἐξοχὴν quòd lex Romana sit mater omnium humanarum legum, vt loquitur Ludouicus Pius *in addit. 4. Capitular. cap. 102.* vel fortè etiam, quòd olim Ecclesia legum appellationem humiliter relinqueret humanis constitutionibus, & suas vocaret Canones seu viuendi regulas, apud Sozomenum *lib. 1. cap. 22.*

Occasio istius Canonis ea fuit, quòd passim Monachi physicam seu Medicinam ediscerent, & ita vagarentur extra claustrum. S. Bernardus *in Sermone 30. super Cantica* religiosos suos objurgat, qui sic disputant, *hoc oculis, hoc capiti, illud stomacho vel pectori nocet*,

quasi sententias illas acceperint ex schola Hyppocratis, *aut Galeni.* Petrus Blesensis *in librum Iob cap.* 1. sic etiàm loquitur, *ò quàm odiosum est in homine*, *quòd qui semper de Hierarchia Cœlesti debuerat loqui*, *de Hiera Picra*; *& Hiera Logadij disputare discit*, id est, de compositione amara, quæ maximè fit ex aloe, vel de ea compositione, cuius author sit Logadius. Denique Ordericus Vitalis *lib. 5. hist. Eccles.* Goisberti cujusdam Monachi meminit, qui erat Medicus, & hinc inde amicos ægrotos inuisebat. Tres illi patres non multùm aberant à tempore Alexandri tertij, & sic aptissimè probatur ex ijs, eo tempore Monachos amasse & didicisse Medicinam. Vtebantur eo prætextu eove colore, vt languentium Fratrum corporibus consulerent, vt est in hoc cap.

Ita etiàm ijs temporibus Monachi ad leges audiendas currebant. Petrus Damianus *in Apologetico de contemptu sæculi cap.* 10. sic loquitur. *Conqueruntur Laici*, *quod Monachi forenses lites agitant*, *in tribunalibus iudicum perorare non cessant.* Et ita cum amarent aduocatos agere in publicis judicijs, ad audiendas leges humanas perquàm lubenter exibant. Imò & statim atque jus Ciuile restitutum est, Monachi leges Romanas docere ceperunt, vt de quodam Rogerio Wacario testantur Chronica Normanniæ *ad an.* 1148. apud Quercetanum. Et vt jus Ciuile addiscerent eo colore vtebantur, quasi ea ratione fideliùs pertractarent Ecclesiastica negotia, vt est in hoc cap. Vnde cum S. Bernardus Cluniacenses Monachos argueret, quòd ipsimet in foro sæculari causas suas peragerent, cum ex sacris Canonibus habere deberent aduocatos; Petrus Venerabilis *lib.* 1. *Ep.* 18. Huic objectioni satisfacere conatur ijs verbis, quæ peruersam hanc Monachorum consuetudinem, & eius prætextum accommodatè indicant ad nostrum illud cap. *Ne Ecclesia Dei*, *quæ justè possidet*, *impijs diripientibus perdat*: *Ne serui Dei amissis proprijs egeant*, *& idcircò Deo seruire nequeant* : *Licet Monachis causas proprias honestè*, *simpliciter religiosè*, *absque litigio injurias*, *quas patiuntur*, *vindici potestati exponere*, *&c.* Sub hoc prætextu nihil omninò frequentius, quàm Monachi causidici, eique omninò fini leges ediscebant.

Ex malis illis moribus prodijt sanctissimus ille Canon. Turon. Concilij, *ne vlli regulares ad Physicam leges ve mundanas audiendas extra Claustrum exeant.* Rationem hanc afferunt istius Concilij Patres, *ne occasione scientiæ spirituales viri mundanis rursus actionibus inuo-*

luantur. Occasione Medicinæ ad ægrotos amicos diuertebant, vt iam ostendimus ex Orderico. Euolabant ad aulas principum, iuxta illud Ecclesiastici *cap. 38. Scientia Medici extollet caput eius, & coràm principibus in admiratione habebitur.* Et ita Rigordus S. Dionisij Monachus Philippi Augusti Medicus dicitur. Cum tamen ijs peregrinum sit dogma Hypocratis, authore S. Bernardo *in eod. Serm. 30.* Et alienum sit Medici officium, quod Monachis minimè conuenire ait Innocentius 3. *lib. 2. Reg. Ep. penult.* ex qua desumptum est *cap. tua nos. 19. ex. de hom. vol. vel cas.* Occasione Iuris Ciuilis se se immiscebant sæcularibus negotijs, & in sæculari foro aduocatos agebant, quod omninò sacri Canones prohibent *Can. de præsentium. Can. Monachi. 16. q. 1. cap. 2. ex. de postul.* Et hinc passim in Concilijs Ecclesiæ Gallic. repetitus ille Canon occurrit, *vt Monachi ad placita sæcularia nullatenus vadant.* Satiùs enim est, vt in lege Dei meditentur die ac nocte, S. Bernardus *in Serm. 1. super Cantica.* Nec quocunque prætextu resumant, quod euomuerunt nec mundum repetant, quem reliquerunt, Petrus Blesensis *in Iob. cap. 2.* Et ita ne in posterum occasione discendarum legum aut Medicinæ, corrumpatur Monastica disciplina, quæ vix vnquàm extra claustrum viget, Turon. Concilij Patres rectissimè prohibent *in hoc cap. 3.* ne Monachi alterutrius ediscendæ causa exeant. Fortè quidem vtrique priuatìm operam dare possunt, dummodò non illud sit principale studium, quod eos à sacris literis & ab officio diuino auertat.



CAPVT II.

Honorius tertius ipsis etiam Clericis ijsque Prælatis & Presbyteris interdixit Legum & Physicæ studio. Ratio edicti.



CVm Turon. Concilio prohibitum esset, ne Monachi ad Physicam & leges audiendas exirent: Honorius tertius eam prohibitionem produxit ad eos Clericos, qui vel dignitatem, vel personatum haberent, vel essent Presbyteri *in cap. vlt. ex. ne Cler. vel Mon. sæcul. neg. se im.* In eo Canone Turon. ne verbum quidem de Clericis. Imò & Arnulphus Lexouien-

ſis Epiſcopus in eo Sermone, quem habuit in ea Synodo, manifeſtè indicat ſe Iuri Ciuili ſtrenuam dediſſe operam, nec veretur illud in ipſo Concilio conteſtari his verbis *vtinam ſanguinem meum tibi pro tuo recipere placeat in ſolutum, vel quia crediti & debiti ſanguinis, ſcilicet tui & mei, inuicem æſtimatio non concurrit, ſaltem benigniſſima acceptilatione liberatus abſoluar.* Ea ſunt viri, qui Ius Ciuile callebat: & ibidem pleraque ſunt alia ſimilia. Ioan. Sareſber, Stephanus Tornac, Petrus Bleſen. & alij eius temporis Prælati indicant bene fundatam Iuris Ciuilis ſcientiam. Sed cum interpretatio ſacrorum Canonum ad ſummum Pontificem referenda ſit *l. 6. Cod. de ſacroſ. Eccl.* Honorius tertius Turon. hunc Canonem ad Prælatos etiam & Preſbyteros produxit: vt nempe nec Phyſicam nec mundanas leges in Scholis publicis ediſcant. Vnde non multùm antea cum Brixienſis Electus ſæcularibus legibus vacaret, non etiam ſacris paginis, Innocentius 3. eum grauiter objurgat *lib. 1. Ep. Ep. 144.*

Huic interpretationi locum dedit, quòd paſſim Clerici Medicinam colerent. Multa eius rei exempla referunt *Triſtanus in Clerico Medico, Molanus in Diario de Medicis ſanctis, & Bzouius in Nomenclatura ſanctorum Medicorum.* Et ijs addendi ſunt *Photius in Ep.* 179. *& 223. & Auitus Viennenſis in Ep. 35. in fi.* Eo colore vtebantur, vt ſecundum charitatis præcepta ægrotis & languentibus Chriſtianis, hinc inde ſubuenirent, vt probari poteſt *ex Serm. 65. Petri Damiani.* Et fortè olim cum Secundus Tigiſitanus Epiſcopus in Concilio Cirtenſi in Africa traditionis accuſaretur, reſpondit, *dedi Codices Medicinales.* fortè inquam ea ratione ita indicat ſe Medicinam exercuiſſe, ne Chriſtiani ethnicos Medicos habere tenerentur.

Sic etiàm Clerici amabant omninò ciuilis ſapientiæ ſtudium. S. Bern. *lib. 1. de conſid. ad Eugenium cap. 4.* Non ſatis æquo animo ferebat in palatio ſummi Pontificis leges Iuſtiniani quotidiè perſtrepere. Eoque prætextu ſemper vſi ſunt, vt pro rebus Eccleſiaſticis, pro viduis, pro pupillis, pro pauperibus aduocationis officio fungerentur. Quam in rem videndus Balſamon ad Nomocanonem Photij *tit.* 8. *cap. 13.* ſicut & Leunclauius in Synodalibus ſententijs Ioan. Patriarchæ *cap. 3. pag. 214.* Eòque tandem peruerſa illa conſuetudo deuenerat in Occidentali Eccleſia, vt non alij quàm Clerici *forenſia negotia pertractarent, & iugiter ſe in deciſione cauſarum exercerent,* vt eſt apud Petrum Bleſenſem *in Ep. 6.* & hinc noſtrum illud *Clericorum* nomen in forum

fluxisse iampridem obseruarunt viri docti.

Honorius tertius vnam & eandem decidendi rationem affert pro vtraque disciplina, *vt Clerici ab ea summoti sacræ Theologiæ plenius & liberius incumbant.* Eaque etiam ratione Petrus Blesensis *in Ep. 26. & 140.* quosdam Clericos à Iuris Ciuilis studio auocare tentauerat, *vt sacris literis operam darent.* Summus ille Pontifex curauit semper, vt inter Clericos vigeret sacræ Theologiæ studium: ideoque generalis Concilij Lateranensis constitutionem confirmauit *in cap. vlt. ex. de mag.* vt nempe in qualibet maiori Ecclesia magister Theologus instituatur. Pijssimum & vtilissimum illud institutum ab Ecclesia Gallicana desumptum fuisse docuimus olim fusiùs *in vita Berengarij Andegau. Archidiaconi.*

Prohibuit igitur Honorius, ne Prælati & Presbyteri Medicinam addiscant: & iampridem Clemens tertius *in cap. ad aures. 7. ex. de æt. qual. & ord. præfic.* constituerat, vt ab exercitio Medicinæ abstineant, qui promoueri velint ad sacros Ordines: fortè enim verendum esset, ne cum Medicis nimium authoritatis naturæ tribuerent, & ita sæpiùs impingerent in authorem naturæ, vt est apud Ioan. Saresberiensem *lib. 2. Policrat. cap. 29.* Ijs etiam interdixit Iuris Ciuilis studio; nec cum Goffredo Beneuentano & Duareno dicendum est, istius prohibitionis eam esse rationem, quòd summus ille Pontifex Ius Ciuile ignoraret: cum enim, *authore Martino Polono*, Decretalium compilationem ediderit, quam habemus hodie, singulari beneficio doctissimi Cironij, & in ea plures decisiones à Iure Ciuili petierit, vix est vt ei obijciatur ignorantia istius Iuris.

Eius autem sanctissimæ rationi, quædam addere iuuat, quæ summum hunc Pontificem mouere potuerunt. Quòd nempe leges mundanæ quantum ad Clericos forinsecæ & externæ dicantur passim in sacris Canonibus, non modò quòd ab ethnicis compositæ sint, vt voluit Balsamon *ad Can. 18. Chalced. Concilij*: sed etiam quòd sint leges sæculi, *Can. 9. & 10. 12. q. 2.* Clerici autem sæcularia studia repudiare debent, Tertullianus *in lib. de Idolatria*, vt ita etiam deponant sæcularia desideria. Petrus Blesensis *in Ep. 26. res plena discriminis est in Clericis vsus legum: totum enim hominem adeo sibi vindicat, vt eum rei familiaris prouidentia defraudet, suspendat à spiritualibus, à diuinis auellat.* Et paulò post Clericum alloquens. *Periculosum est ita se legibus humanis impendere, vt mens per horulam à diuinæ*

legis meditatione iejunet. Sed obseruandum est obiter, Petrum hunc Blesensem ciuilis sapientiæ studium aliquandò pluris, aliquandò minoris facere, vt causæ seruiat. Sic enim *in Ep. 8. Ius Ciuile sanctum vocat & honestum, atque sacris orthodoxorum Patrum constitutionibus approbatum.* Et paulo post. *Bonum est scire leges ad Inquisitionem veritatis & judicij æquitatem.* Sed alibi ferè est, vt nostræ illius disciplinæ iniquus æstimator videatur, ac potissimùm *in Ep. 140. & in lib. Iob. cap. 2.*

Nequè verò Honorius tertius ea constitutione sua facere potuit, vt Clerici leges non ampliùs audirent: nam Matheus Paris *in suis additamentis pag. 124.* refert rescriptum Innocentij quarti ad omnes Prælatos in regno Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Walliæ, Hispaniæ, & Hungariæ, vbi sic habet. *Tota Clericorum multitudo ad audiendas leges sæculares concurrit, & in plerisque mundi climatibus ad Ecclesiasticas dignitates & præbendas nullus assumitur à Prælatis, nisi qui vel sæcularis scientiæ professor vel aduocatus existat.* Quod etiàm ibi strictissimè prohibet summus ille Pontifex: & in fine statuit, *quòd in prædictis regnis leges sæculares de cætero non legantur*, quod excutietur in sequenti capite.



CAPVT III.

Honorius tertius prohibet ne Ius Ciuile Parisijs doceatur. Hoc solus nec prohibuit, nec prohibere potuit.

HIs præmissis aggrediamur tandem, quod primum erat in intentione. Honorius tertius anno quarto sui Pontificatus prohibuit, nè quis Ius Ciuile Parisijs docere & audire præsumat. *Cap., super specula. 28. ex. de Priuil.* rationem hanc affert, *tùm quòd in Francia & nonnullis Prouincijs laici Romanis legibus non vtuntur, & occurrunt rarò Ecclesiasticæ causæ tales, quæ non poßint statutis Canonicis expediri: tùm etiam vt ibi sacræ paginæ pleniùs insistatur.* Primam rationem fusiùs executi sunt viri doctissimi, Cironius in notis *ad hoc cap. 28. & lib. 5. obseruat.* Dadinus Altaserra *lib. 3. rer. Aquitan.* Antonius Dominicy *in lib. de prærogatiua allodiorum.* Ex secunda ratione Honorij contendit

Rebuffus *in tractatu nominat. quæst. 5. num. 15.* prohibitionem illam ad solos Clericos pertinere, quasi prohibitum non sit, nè laici Ius Ciuile Parisijs audiant. Sed forsan ea constitutione abutitur. 1°. enim cum summus ille Pontifex specialiter prohibuit, nè Clerici vel Monachi leges audiant *in cap. vlt. ne Cler. vel Mon.* & postmodum generaliter prohibuit, ne Ius Ciuile doceatur Parisijs, suum illud edictum ad solos Clericos restringere voluisse non videtur. 2° cum ille idem summus Pontifex *in d. cap. 28.* addat, *& qui contrà fecerit, à causarum patrocinijs excludatur*, non tàm ad Clericos pæna illa pertinet, quàm ad Laicos: cum ille ipse Honorius tertius *in cap. 1. de vita & hon. Cleric. in 5. compil.* Guillelmo Pictauensi Episcopo mandet, ne patiatur Clericos aduocationis officio fungi. Sicque generalis est ea prohibitio, ne quis cuiuscunque tandem conditionis fuerit, Lutetiæ leges docere vel audire possit.

Nec obstat quòd nostrum illud capitulum mittatur ad capitulum & Prælatos Parisiensis Ecclesiæ: Nam constat olim omnes fere scholas vel in Monasterijs fuisse, vel foras apud Presbyteros, ait Carolus M. *lib. 5. capitular. cap. 95.* nec alios, ciuitatum scholas rexisse, quàm Clericos. *Ioan. Saresb. in Ep. 19.* ac tandem eas earumque magistros sub Episcoporum dispositione fuisse, passim occurrit in Capitularibus regum nostrorum, & in Concilijs Galliæ. Nec etiam obstat quòd summus Pontifex in Gallia de laicis nihil decernere possit: Nam eo tempore scholares omnes dicebantur Clerici, nec alios habebant iudices quam Ecclesiasticos *cap. 11. de Constit. in Ant. cap. 9. ex. de fo. comp.*

Ad nostrum illud cap. 28. obseruanda est nota Caroli Molinæi, *Ego verò dico quòd non habuit potestatem hoc statuendi nec prohibendi* (ne Parisijs Ius Ciuile doceatur) *in regno Franciæ siue Laicis siue Clericis aut alijs, quia regnum Franciæ nullomodo dependet à Papa.* Illud etiàm viderunt Gregorius Tholosanus Antecessor *lib. 18. de rep. cap. 1.* & Pasquierus *in libris disquisitionum.* Sed quod ijs omninò incognitum erat, non ita pridem prodijt, insigne videlicet rescriptum Philippi Pulchri *an. Domini 1312.* editum pro Academia Aurelian. Cuius αὐτόγραφον vidi apud eius Academiæ Antecessores lino, cera, & solemni subscriptione munitum: quod etiàm ex regijs Archiuis exscripserunt doctissimi Puteani *inter probationes libertatum Ecclesiæ Gall. ad cap. 37. num. 5. pag. 427.* sicque non nisi temerè falsi

potest

poteſt accuſari, quod tamen vltimum ſolet eſſe ſuffugium eorum qui, vt loquuntur, redacti ſunt ad metam non loqui. In eo ſic habet. *Hinc progenitores noſtri Pariſijs ſtudium Theologiæ principale, liberalium etiàm artium, quæ ſunt præparationes ad illam, priuilegijs pluribus munierunt, & per Sedem Apoſtolicam muniri curarunt*, &c. *Ea propter hoc ſtudium fouere, per ampliuſque ſtabilire proponimus Domino præſtante. Vt autem liberiùs ibidem ſtudium proficeret Theologiæ, progenitores noſtri non permiſerunt legum ſeu Iuris Ciuilis ſtudium ibidem inſtitui; quin imò idem etiàm interdici ſub excommunicationis pœna per Sedem Apoſtolicam procurarunt.* Et hæc omninò referenda ſunt ad noſtrum illud, capitulum, in quo ea ipſa pœna decernitur circa finem. Ex quibus palàm eſt, ab Honorio tertio editum fuiſſe peremptoriũ illud edictum, ad petitionem Chriſtianiſſimi Regis, puta Philippi Auguſti, quod non modò diuturnus vſus approbauit, ſed & poſteà recentatum eſt noſtrorum Principum conſtitutionibus, vt ſuo loco videbimus. Cur Philippus adierit ſummum Pontificem, & hoc ab eo prohiberi curauerit, videbimus *cap.* 4. *num* 3. *& cap.* 6. *&* 7.

Non tantùm autem Honorius tertius ſummus Pontifex ſolus non prohibuit, ne ius ciuile doceatur Pariſiis, ſed nec illud prohibere potuit. Primò enim Academiæ inſtitui aut creari non poſſunt in Gallia ſine conſenſu & authoritate Chriſtianiſſimi Regis. Hoc pluribus docent Chopinus noſter *lib.* 3. *de Domanio cap.* 27. & probationes libertatum Eccleſiæ Gallicanæ *cap.* 37. cuius ea eſt Epigraphe, *Vniuerſités & Eſcholles publiques ne peuuent eſtre eſtablies en France, ny reformées, ſans l'authorité & conſentement du Roy.* Et ijs addere iuuat inſignem locum Iambilichi *in vita Pythagoræ cap.* 9. *in princ.* vbi cum Pythagoras Crotoniatis ſuaderet, vt muſarum ſacrarium extruerent, addit priùs habendam τὴν ὑπάρχȣ ὁμόνοιαν *principis conſenſum.* Secundò ſolus princeps definire poteſt, in quibus imperij ſui ciuitatibus Academiæ inſtituantur, & quot profeſſores *l.* 6. §. 2. *&* 3. *de excuſ. tut.* ſicut & quænam artes, aut diſciplinæ in ſuis Academiis doceantur, nec vllatenùs illud eſt Pontificiæ iuriſdictionis: quia illud eſt omninò politicæ, vt præſcribat quænam artes doceantur, & in quibus locis. *Plato in Euthydemo & in Gorgia*, & poſt eum *Ariſtoteles lib.* 1. *ethic. cap.* 2. ſed politica nihil ad Papam, vt fuſiùs docet paſſim miles vltra ſortem ſuam doctus *in ſomnio Viridarij*: Ergo ſolus Papa prohibere non potuit, nè ius ciuile Pariſiis doceatur. Et ita ſoli

Imperatores Romæ, & Constantinopoli studia liberalia curant *in l. vn. Cod. de stud. liberal. vr. Ro. & Constan. lib. 11.* Eumenius Rhetor *in orat. pro scholis instaurandis.* Romanos Imperatores laudat, quòd inter Imperatorias dispositiones summis reipub. gubernandæ prouisionibus occupatas, literarum quoque delectum habuerint. Athalaricus apud Cassiodorum *lib. 9. Variar. cap. 21.* mandat Senatui vrbis Romæ, vt curet scholas Grammaticæ, Musicæ, Rhetoricæ & iuris ciuilis. Carolus Magnus & Ludouicus Pius in suis Capitularibus iubent, quid in scholis ediscere debeant clerici. Ac tandem Franciscus primus, & Senatus Parisiensis decreuerunt, an & quinam libri Aristotelis in scholis legendi essent, apud doctissimum Launoyum in lib. de varia Aristotelis fortuna.

Et spes, & ratio studiorum in Cæsare tantùm.

Vnde cùm Innocentius quartus in fine illius rescripti, quod superiori capite laudauimus, prohibuit nè leges sæculares in Regnis Franciæ, Angliæ, Scotiæ, &c. deinceps legantur, statim addit, *si tamen hoc de Regum & Principum voluntate processerit.* Sicque lubenter agnoscit summus ille Pontifex, suæ iurisdictionis non esse, quænam artes in regiis Academiis doceantur. Et hoc potissimùm in studio iuris ciuilis competit, quod fortè minùs conuenit Clericis. Ita etiàm, cùm Clemens quintus aliquid pro Academia Aurelianensi decreuisset, in fine suæ Bullæ subjecit, *per hæc tamen iurisdictioni Regiæ non intendimus derogare, sed ea quantum dependent ab ipso, suæ approbationis & voluntatis arbitrio reseruamus.*



CAPVT IV.

Ius Ciuile nunquam Parisijs expositum fuit in Scholis publicis & Regijs auspicijs.



Ttendenda est istius capitis Epigraphe. Non negauerim ius ciuile Parisiis expositum fuisse olim in priuatis famosisque pergulis, provt etiàm probabitur *cap. 6. & 7.* nam &, proh dolor, peruersa illa consuetudo in nostris Academiis irrepsit tandem: sed assero Lutetiæ nunquam illud ex-

positum fuisse in scholis publicis, & regiis auspiciis. Rectissimè autem Iustinianus Imp. *in proemio dig.* §. *hæc autem tria*. Non vbique instituit iuris ciuilis professores. Sicut enim non omnis fert omnia tellus, ita nec quælibet regio idonea fuit instituendæ Platonis Academiæ. Amant si quidem artes & disciplinæ certa quædam locorum ingenia, perinde ac hominum: ita vt non minùs eloquentia pereat, si eam ab Attico solo ad Spartanum transferas, quàm si ab oratore ad rusticum. Et hoc in suo etiàm imperio experta est nostra illa Iurisprudentia: quamvis enim Iustiniani temporibus quicunque essent in orbe Romano, Romanis legibus vterentur, attamen noluit eas vbique doceri, sed tantùm in regiis ciuitatibus, nempè in vtraque Roma, & Beryti. Romæ quidem datum erat Imperium, sed tamen Beryti ea erant auditoria iuris, quæ passim ornabant omnia Romanorum tribunalia, vt docet *expositio totius mundi cap. 17.* §. *3.* quam non ita pridem edidit Iacobus Gothofredus in Opusculis. Et hinc Berytus dicitur nutrix & ciuitas legum. Nec vnquàm Roma rerum domina huic prælato inuidit honori, quasi eius esset eas ferre leges, quæ in aliis ciuitatibus exponerentur.

Idem quoque fatum Romanæ Iurisprudentiæ sub Christianissimis regibus: vt nempè passi nunquàm fuerint eam vbique doceri, nè quorumdam locorum inclementia nimis amaram & agrestem illam faceret, quam dominus veluti vineam speciosissimam implantauerat. Vnde cum Carolus Magnus doctissimos vndecùnque viros euocasset, qui liberales artes restituerent; Arelatensis Ecclesiæ veteres membranæ habent, statim eos petiisse opportuna loca. Literarum ille parens dedit iis *Patauium*, *Ticinum*, *&* *Lutetiam*. Neque tamen crediderim eum fundasse Parisiensem Academiam, provt ea se habet hodiè, sed altiùs repetenda est ea res, vt meam intentionem implere possim. Magnus quidem ille princeps patiebatur res Ecclesiasticas & alia quædam negotia inter certas quasdam personas ex legibus Rom. definiri, vt passim videre est in eius Capitularibus: sed tamen eius tempore Parisiis nullos fuisse iuris ciuilis doctores probatur eleganter ex Adræualdo Caroli M. coætaneo *lib. 1. de Miraculis S. Benedicti cap. 25.* vbi cum lis quædam mota esset inter Floriacense Monasterium, & inter Samdionysianũ propè Lutetiam, Salicæ legis iudices eam definire non potuerunt,

cum res Ecclesiasticas sub Romana lege constitutas perfectè discernere non possent, vt ibi habet: *ideoque visum est missis dominicis Lutetiâ placitum illud transferre Aureliam, vt ibi legum doctores inuenirent*, vnde innotescit plus satis, eo tempore nullos fuisse Parisiis. Nullibi quidem ius ciuile docebatur adhuc, provt illud habemus hodie, quippè quod sub ingrato puluere iaceret: sed locus ille Adræualdi euincit Parisiis nullos fuisse doctores Theodosianarum legum, quæ tunc temporis solæ cognitæ erant in occidente, vt fusiùs docent Cironius, & Altaserra laudatis locis: alioquin Parisiis Aureliam profecti non essent missi dominici.

Secundò cum sub Imperatore Lothario Saxone *circa an. 1130.* Irnerius, ad petitionē Mathildæ Comitissæ, libros legum renouasset, vt de eo *Abbas Vrspergensis in Chronico*, seu cum Bononiæ libros Institutionum, Codicis, & Digestorum legere cœpisset: cumque *circa an. 1158.* expugnata ciuitate Amalphitana, repertum esset vetustissimum Pandectarum exemplum & Pisanis donatum, nullibi reperias vnquàm à Christianissimis Regibus Lutetię institutos fuisse iuris ciuilis professores. Imò & cum eo ferè tempore Petrus Blesensis relinquere vellet iuris ciuilis studium (quod Bononiæ aggressus fuerat) & Theologiæ operam dare: *Bononiâ discessit & profectus est Lutetiam*, vt nominatim scribit *in ep. 26.* vbi addit, *lex sæcularis gloriosa supellectile verborum, lepidaque orationis vrbanitate lasciuiens, me vehementer allexerat, & inebriauerat mentem meam.* Cumque illius studium deserere voluit, venit Lutetiam, quòd ibi nulla esset illius schola. Et circa finem eiusdem sæculi, Placentinus Monspellii ius ciuile publicè docere cepit, Tolosæ Franc. Accursius, & alii quidam in aliis locis. Sed nullus eo tempore Parisiis occurrit iuris ciuilis professor.

Tertiò cum ita prodiit totum iuris ciuilis corpus, & Paris. Academia certas regulas & certos quosdam professores habere cepit: Philippus Augustus (eius nisi fallor verus parens) prohibere voluit, nè ius ciuile suam hanc Academiam inuaderet. Cum enim ab Italia transisset in Galliam, in ea statim plures iuris illius peritissimi fuerunt, imò & Parisiis quidam illud docere ceperunt in priuatis pergulis, vt videbimus *cap. 6. & 7.* vnde Philippus Augustus prohibere voluit, nè in sua illa principe Academia publicè doceretur, & suis auspiciis. *Sed eius Academiæ Magistros & Scholares timens*, vt de eo *Rogerus ab Houeden in Ioanne Rege*, procurauit sæcularium legum

ſtudium per Sedem Apoſtolicam, ſub excommunicationis pœna, Pariſiis amandari, vt de eo ſcribit Philippus Pulcher in celeberrimo quodam diplomate pro Academia Aurelian. de quo alibi fuſiùs. Et hinc prodiit noſtrum illud *cap. 28. ex. de priuil.* & quidem *circa an. 1220.*

Quartò *circa an. 1230.* cum ſub S. Ludouico magna diſſenſio Pariſiis orta eſſet inter Scholares & Burgenſes, Nangius eorum tantummodò ſcholarium meminit, *qui ſtudebant literis, Philoſophiæ, & ſalutari ſcientiæ, ſeu Theologiæ*: nè verbum quidem de iuris ciuilis auditoribus. Ita & cum ille idem S. Ludouicus in terram ſanctam profectus eſſet, & eius mater Blancha regnum eo abſente regeret *an. 1251.* Vniuerſitas Pariſienſium magiſtrorum, iuramentum illud ei præſtitit: *promiſſum eſt, quòd pro communi vtilitate totius ſtudij Pariſienſis, tam magiſtri quàm ſcholares in Theologia, in Decretis, Medicina, artibus, Sacramento obligabuntur*, iſtius iuramenti formulam exſcribit Chopinus *lib. 3. de Doman. cap. 27.* & poſt eum Puteanus *in probationibus libri de maioritate Regum noſtrorum pag. 551.* & in ea nihil de magiſtris legum & iuris ciuilis, qui eſſent ipſius Vniuerſitatis, vt videbimus adhuc *in cap. 7.* Sic etiàm Robertus de Sorbona S. Ludouici æqualis *in ſuis Opuſculis tit. de Conſcientia*, alludens ad varium examen eorum omnium, qui Pariſijs ſtudebant, meminit tantummodò *Decretiſtarum*, ac nè verbum quidem de iuris ciuilis auditoribus. Nam & eo tempore Gregorius nonus eam Honorij conſtitutionem recentauit: & Pinſſonius aſſerit eam Gregorij noni Decretalem epiſtolam extare in Archiuis Pariſ. Academiæ. Ac tandem eo ipſo tempore Hoſtienſis, *ad tit. de Poſtul.* ſcribit, *item per legem Canonicam poſtulare prohibetur, ſi audiuit leges Pariſijs.* Quod prohibitionem, & pœnam manifeſtè indicat.

Quintò Philippus Pulcher *an 1312.* confirmauit edictum Philippi Auguſti, quo nempè prohibuit, nè leges Lutetiæ docerentur, vt palàm eſt ex eo diplomate, quod pro Academia Aurelian. editum fuiſſe diximus. Eoque ipſo tempore, cum S. Iuo Lutetiam miſſus eſſet, vt ibi humanioribus literis operam daret, *confirmatiore ætate, iuris cognoſcendi cauſa Aureliam ſe contulit*, vt ſcribit Forſterus *lib. 3. de Hiſt. iur. ciu. pag. 233. edit. Baſil.* quia videlicet eo tempore Pariſijs non erat Schola iuris ciuilis.

Sextò Ioannes Gerſon Pariſienſis Academiæ Cancellarius *circa annum 1400.* agens, in ea ſolam Decretorum facultatem agnouit.

Nam in eius operibus tres sunt collationes, seu sermones, aut orationes *pro licentiandis in facultate Decretorum*: nullæ omninò extant *pro licentiandis in facultate iuris ciuilis*, cum tamen ad eum etiàm pertinuisset ius eorum licentiandorum, qui in ea facultate studuissent, sicut obtinet in omnibus Regni Academijs. Et hinc cum Erardus Altissiodorensis Episcopus & Cardinalis *circa an. 1260.* antequàm esset clericus, & iuri ciuili & iuri canonico strenuam dedisset operam, ad iuris canonici facultatem se transferens, *laudabiliter licentiatus fuit Parisijs in Decretis*, non etiàm in iure ciuili, cum ibi nulli essent illius professores, vt à ducentis annis, ad sui temporis vsum loquitur *author historiæ Altissiod. Episcop. cap. 64.*

Septimò cum Senatus Parisiensis *die 13. Iunij an. 1534.* Parisiensem Academiam reformare voluit, egit tantùm de facultate Decretorum, & solis canonici iuris Doctoribus materiam & horam prælectionum assignauit: nè verbum quidem de iure ciuili, aut illius professoribus: Senatus-consultum illud extat *inter probationes libertatum Ecclesiæ Gall. cap. 37. num. 8.* Eodemque tempore D. Guimierus in eodem Senatu præses scripsit ius ciuile Parisijs legi non posse, in Glossis Prag. Sanct. *ad tit. de elect. §. & nihilominus in verbo curia.* Denique Pasquierus *lib. 9. disquisitionum cap. 37.* pluribus probat, nunquàm Parisijs institutam fuisse Academiam pro iure ciuili.

Octauò Blesensis constitutio *art. 69.* nominatim prohibet, nè ius ciuile Parisijs doceatur. Eòque loci notant quidam Glossographi, illud omninò conuenire fundationi Parisiensis Vniuersitatis. Nec illud nouum: nam paulò antea, cum Senatus amplissimus præstantissimo Cuiacio ius ciuile Parisijs docere permisit, prudentissimè addidit suo Decreto, *hoc producendum non esse ad consequentias*, *quod tanto viro contra tenorem rationis concedebat.* Et addidit ea verba, *attendu la qualité du temps, & sans tirer à consequence*, quæ omninò euincunt prohibitum illud fuisse, vel etiam ante Blesensem constitutionem, eamque nihil aliud recentasse, quàm ius vetus.

Nonò in formula iuramenti, quod tota Paris. Vniuersitas præstitit Henrico Magno *circa an. 1594. die 22. Aprilis*, soli occurrunt Decanus & Doctores Regentes iuris Pontificij. Ac nè verbum quidem de iuris ciuilis Doctoribus. Eodem etiam anno. *die 22. Iunij*, cum priuilegia Paris. Vniuersitatis ab eodem Principe confir-

mata essent, eaque Regia confirmatio referretur in acta Senatus amplissimi, placuit vt illi omnes recenserentur nominatim, qui gauderent ijs priuilegijs, & inter eos relati sunt tantùm, *les Doyen & Docteurs de la tres-consulte Faculté de decretance, leurs Licentiers & Bacheliers.* Præteriti omninò iuris ciuilis professores. *In Bibliotheca iuris Francici in verbo, Vniuersité.* Et ille ipse Pasquierus in ea Vniuersitate, quatuor tantùm facultates agnoscit passim, Theologiæ, Decretorum, Medicinæ, & Artium.

Decimò Ludouicus decimus tertius in suis constitutionibus *art. 44.* toties repetitam prohibitionem confirmauit.

Vndecimò cum nuper in sacro Christianissimi Regis consistorio egerunt aliæ Academiæ, vt more maiorum ea prohibitio firmaretur, & sacris apicibus ad Senatum Parisiensem rejecta est ea lis, nominatim & conceptissimis verbis cautum est, vt ea definiatur secundum Regias constitutiones. Eoque casu Rex Christianissimus proculdubio ad omnes illas constitutiones respicere voluit, quas suprà laudauimus, nam nullæ omninò extant, quæ ius ciuile Parisijs doceri permiserint.

Denique quod olim S. Augustinus à Donatistis, illud idem à Parisiensibus professoribus petere iuuat, *vbinam Patres vestri?* qui nempè in Academia vestra ius ciuile docuerint. Ea multos insignes Theologos, Medicos, & Humaniorum literarum Magistros peperit: vbinam insignes iuris ciuilis professores? vbinam eorum Scholæ? vbinam eorum Honoraria? Lutetiæ tot sunt Collegia, nec vllum tamen extat iuri ciuili mancipatum, & est Schola Decreti: quod omnibus bonis probabit abundè istius Capitis nostri Epigraphen.



CAPVT V.

Lutetiæ nunquam ius ciuile doceri potest, & qua ratione.



LVtetiæ non modò ius ciuile nunquàm expositum fuit in Scholis publicis, & Regijs auspicijs, vt superiori Capite probauimus: sed nec doceri potest vnquàm. Frustrà vero sunt, qui hoc probare tentant ex varijs seditionibus, quæ olim ortæ dicuntur inter Scholares & Burgenses, sub

Philippo Augusto, Ludouico octauo, Ludouico nono, & alijs: Nam apud scriptores æquales eorum fit tantùm mentio, qui vel Theologiæ, vel Artibus operam dabant, cùm tunc temporis solæ illæ Facultates in studio Parisiensi florerent, ac nihil vnquàm de iuris ciuilis studiosis: & hodiè dissidia illa non vnius æstimaremus assis sub tanto principe, sub tam sapienti Senatu. Nihili sunt etiàm, qui iuris ciuilis Facultatem à Parisiensi Academia translatam fuisse volunt ad Aurelianensem: Nam istius translationis authentica instrumenta desunt. Palàm quidem est, qua ratione vtatur potissimùm Honorius tertius, vt prohibeat nè Parisijs ius ciuile doceatur, *vt nempè clerici sacris paginis liberiùs ibi operam darent*: sed in Gallia politicam rationem inquirere iuuat. Prima quidem generalis occurrit, quæ omnibus etiàm alijs vrbibus conuenit, & posteà specialis.

Primò igitur cum Iustinianus *in proœmio dig. §. hæc tria.* non vbique iuris ciuilis professores constituit, sed tantùm in Regijs ciuitatibus, nempè in vtraque Roma & Beryti, eleganter Ancharanus, & Philippus Francus *ad cap. 2. de priuil. in 6.* scribunt, *quamvis lex dicat quòd leges in Regijs ciuitatibus docendæ sint, tamen non sufficere, quòd quædam ciuitas sit Regia, nisi vel ex speciali priuilegio, vel de iure communi, vel ex antiqua consuetudine, illud ei competat, alioquin saltem quælibet metropolis Scholas iuris ciuilis haberet.* Et alibi, *priuilegium illud alicui ciuitati non competere (vt leges in ea doceantur,) nisi ab eo datum fuerit, qui summam potestatem habet*, qualis est princeps, vt diximus *in cap. 3.* Parisiensis autem Academia nec ihabet, nec vnquàm habuit speciale illud priuilegium. Hoc adstruit llius fundatio, quæ solam iuris canonici Facultatem continet, & constitutiones summorum Pontificum, quæ ad eius Academiæ confirmationem pertinent, de sola Facultate iuris canonici agunt: vnde & hodiè *Schola Decreti*, & inter tot Gymnasia nullum iuri ciuili deputatum est. Hoc euincunt illi ipsi Codicilli Antecessorum Parisiensium, in quibus renuntiantur *Doctores Decreti*, vel, vt hodiè loquuntur, *Professores sacrorum Canonum*: Ideoque Ioan. Dartis non ita pridem eorum Primicerius ad Vrbanum octauum summum Pontificem scribit *pro sola Facultate iuris Pontificij in Vniuersitate Parisiensi*, & pro ea tantùm honoraria emendicat. Atque etiam nuperrimè in suo tractatu de suis priuilegijs, se ipsos vocant *Docteurs*

Regens

Regens de la Faculté de Droit Canon en l'Vniuersité de Paris. Hoc tandem certo certiùs probant regiæ constitutiones, quæ conceptissimis verbis prohibent, *ne ius ciuile Parisijs doceatur.* Nec etiàm Parisiensis Academia iure communi priuilegium illud habet, vt olim vtraque Roma, cum legibus illis non pareat. Nec tandem illud habet ex longa consuetudine, vt Padua *apud eundem Ancharanum*, nam & superiori Capite docuimus per ætates & tempora, ius ciuile nunquam expositum fuisse Parisijs. Ergo Parisiensis Academia iuris ciuilis professores habere non potest.

In speciali ratione istius prohibitionis, multæ quidem visiones occurrunt, quæ tamen omnes eòdem pertinent, nempè ad tuendum regiæ majestatis splendorem. Eaque tùm primùm altiùs forsan repetenda est. Summæ potestatis insigne illud est symbolum, vt qui eam habet, leges ferre possit, quibus pareant subiecti. Hoc bellissimè omnium exequitur Virgilius de Romulo & Remo, vt doceat futuros illos Reges *iura dabunt.* De Didone *iura dabat legesque viris.* De populo Romano *pacisque imponere mores.* Id est leges, vt ibi notat Seruius. Et hinc sæpiùs Romani, leges suas deuictis gentibus imponebant, *apud Liuium & Plutarchum passim.* Hinc etiàm tanta legum diuersitas, quòd singuli principes aut populi leges sibi constituere voluerint, nè alijs parere viderentur, si quidem seruarent eorum leges. Sicut verò illustris ea nota est meri Imperij *suis populis ferre leges*: ita & seruilis & adscriptitiæ conditionis illud est, si quis alienas leges in sua ditione promulgari patiatur. Vnde cum regius Propheta sæpiùs ac sæpiùs dixit, se venerari & colere leges & mandata Dei sui, clamauit tandem *docebo vias tuas*, id est leges tuas. Sic etiàm Philo Iudæus *lib. 2. de vita Mosis circa princip.* ait iure gentium illud ita comparatum esse, vt quilibet populi ab alienis legibus abhorreant, & putent suas eò sanctiùs obseruari, quò longiùs alienas projecerint.

Vtrumque illud (proprias habere leges, & alienas amandare) maiorum nostrorum mentibus semper à natura insitum est. *Cum enim alijs gentibus fortitudine præcellerent, ijs etiàm præstare voluerunt sapientia & authoritate legum*, vt ipsimet scribunt *in prologo suæ legis Salicæ.* Et addunt. *Cùmque durissimum Romanorum iugum ex suis ceruicibus excussissent, proprias sibi tulerunt leges, & alienas abiecerunt*: Hinc illud Capitularium *lib. 6. cap. 269. Alienæ gentis. legibus*

imbui & permittimus, & optamus, ad negotiorum verò discußionem & refutamus & prohibemus. Eaque mente omninò regia præditi nunquam pati voluerunt leges Romanas in ea ciuitate doceri, quæ ijs erat μητὴρ πόλις *Regni sui caput*: nè fortè viderentur adhuc subjacere Romanis fascibus, si vel etiàm Romanas leges ex principali suggestu audirent: Quasi Gallia in suis penetralibus non ampliùs pati posset Romam Imperij sui æmulam. Vnde sicut Plato à sua Repub. non ideo ejecit Homerum, quòd illius artem contemneret (nam eum in aliam vrbem dimisit, instar alicuius Dei, lana coronatum & vnguento delibutum) sed quòd existimaret eam non satis conuenire suo proposito. *Maximus Tyrius in dissertat. septima.* Ita & cum Christianissimi Reges semper altos illos spiritus egerint, vt nihil pati voluerint vnquàm, quod aliquatenùs majestatem suam imminueret: dici potest eos nunquam Parisijs admisisse iuris ciuilis professores, non ex ipsius artis contemptu, quippè qui voluerint eam in alijs regni sui Academijs doceri, sed quia semper existimarunt huic Regiæ menti suæ non satis conueniens, cominùs audire peregrinarum legum expositionem: Nam & Alexander Magnus generosè omninò contendebat, non debere principes quælibet audire carmina, sed ea tantùm quæ animos & majestatem augeant *Dio Chrysostomus in orat. 2.*

Iuuat etiàm vti analogia legis & nummi, vt Romanas leges à conspectu Christianissimi Regis expellamus. Aristoteles quidem *lib. 5. Ethic. cap. 8.* ait νόμισμα deduci ἀπὸ τῦ νόμου: Sed in tribus alijs consistit nostra illa analogia: Quòd vtrumque sit symbolum & nota meri Imperij: Quòd vtrumque vnum esse debeat in toto regno: Quòd neutrum sub oculis principis admittatur, nisi Regia imagine notatum. Primò igitur sicut ius ferendæ legis, ita & ius cudendi nummi culmen est summæ potestatis; vt non malè dicatur *eius esse nummum, cuius est* νόμος: & hoc probatione non eget, ipsum enim se ostendit. Vnde cum primi Francorum Reges vnum illud præcipuè haberent in votis, vt manifestè ostenderent se omninò habere κράτον ἄκρατος, nec vllatenus parere Romanis Imperatoribus, vtrumque illud sibi statim vindicarunt. Et ita nummum aureum impressa imagine sua cudere ceperunt, vt de ijs *Procopius lib. 3. de Bello Gotthorum.* Quamvis nefas esset huic aliam imaginem insculpere, quàm Romani Imperatoris, *Zonaras in Iustiniano 2.*

& hoc obtinuiſſe putant vſque ad Carolum Caluum, qui *in edicto Piſtenſi cap. 11.* voluit, *vt nominis ſui Monogramma in medio nummi haberetur.* Sic etiàm proprias leges condiderunt, vt iam diximus, putà leges Salicas, Capitularia, Pragmaticas Sanctiones, edicta, conſtitutiones. Et obſeruandum eſt *ex geſtis veterum Francorum cap. 4. apud Quercetanum to. 1. hiſt. Franc.* Quo tempore maiores noſtri vnum regem habere voluerunt, ſtatim etiàm eos proprias leges habere voluiſſe. Sicque merum Imperium in ferendis legibus, & in cudendis nummis pariter conſiſtere putarunt.

Secundò ſicut in quolibet regno vna debet eſſe moneta, quæ videlicet notata ſit imagine principis, & omninò reprobanda eſt peregrina: quia non aliter nummus ſubuenire poteſt difficultatibus permutationum, quàm ſi formâ publicâ percuſſus ſit *l. 1. d. de Cont. emp. & vendit.* formâ publicâ, id eſt, formâ regiâ, provt publici iudices non alij ſunt quam regij, in ſacris Canonibus & in Capitularibus. Ideoque reges noſtri curarunt ſemper, vt in ſuo regno vna eſſet moneta ſua, & aliæ ceſſarent. Et hinc capitulare Caroli Magni & Ludouici Pij *de admonitione vnius monetæ lib. 2. c. 18.* Sic etiàm vna debet eſſe lex vnius principis: νόμος γὰρ ἄρχοντος ἔργον *lex enim opus principis*, inquit Plutarchus, ideoque ſicut longè optimum eſt vnum eſſe principem, ita & vnam eſſe illius legem, cui omnes indiſtinctè pareant. Et hoc maximè cordi fuit Chriſtianiſſimis Regibus, vt ſolum ius illud in regno ſuo pro lege haberi voluerint, quod ex ſuis conſtitutionibus deſcendat, nec alienis legibus adſtringantur, ſed tantùm ſuis, vt elegantiſſime olim aſſeruit *clariſſimus præſes Ferrerius in orat. ad Papam an. 1561* Ideoque licet Romani iuris æquitatem agnouerint, ac tandem illud doceri permiſerint in ſuis quibuſdam Academijs, ſemper tamen ſummè curarunt, ne quoquomodò huic tanquam legi parere viderentur. Et hinc in earum fundationibus, quæ iuris illius profeſſores habent, ſemper addiderunt eam clauſulam, *non ideò probantes ius Romanum in noſtro regno pro lege haberi.* Hinc etiam Philippus tertius *an. 1277.* & Philippus Pulcher *an 1304.* prohibuerunt, *nè quis in iudicio ius ciuile aut Romanorum Imperatorum conſtitutiones pro lege laudaret:* quod etiàm apud Hiſpanos obtinere notat miles *in ſomnio Viridarij lib. 1. cap. 36.* & ita leges & nummi ſemper in Gallia vnam habuerunt publicam ſeu regiam formam.

Denique ſicut in eodem regno non tantùm vnus debet eſſe nummus, & quidem regia imagine percuſſus, ſed etiàm non aliùs in fiſco admittitur. In Imperio Romano erant quidem Attici, Iudaici, Philippenſes, Gallici, & alij id genus nummi, & tamen Romanis duntaxat nummis ſoluenda erant tributa: & Romani Imperatores ſolos illos nummos fiſco inferri patiebantur, quos ad hoc impreſſa imagine ſua formauerant, *vt ex Lampridio in Alexandro Seuero* viri doctiſſimi iampridem obſeruarunt. Et hinc fortè *Mathæi cap. 22.* numiſma cenſus, nihil aliud eſt, quàm Romanus nummus, qui ſoluendis tributis deſtinatus erat. Idem etiàm obtinuit in Gallia, nam occurrit mentio *Fiſcalis monetæ*, quæ nempè fiſco inferenda erat, *in vita S. Eligij Nouiomenſis Epiſcopi apud Quercetanum to.1. hiſt Franc.* Et hodiè quamvis in emporijs plures occurrant peregrinæ ſpecies nummorum, attamen nouiſſimæ conſtitutiones de re monetaria ſic habent, *Ordonnons que tous deniers, qui nous ſont deubs, tant par nos domaines, aydes, tailles, qu'impoſitions, ſubuentions quelconques, ſeront payées en monnoye à nos coins & armes*: *Charles neuf en ſon Ordonnance pour les monnoyes article 3. en l'an 1571. le 21. Auril.*

Sicut, inquam, in quolibet regno, ſed potiſſimùm in Gallico, fiſcus ſolos illos nummos agnoſcit, quos ſui principis imagine notatos videt, quamvis fortè alij tolerentur in commercijs: ita & quamvis Chriſtianiſſimi Reges quibuſdam ſuis Academijs Romanorum legum expoſitionem conceſſerint, attamen in ſua vrbe regia non alias publicè patiuntur exponi, quàm quæ nomine ſuo inſcriptæ fuerint. Et eadem vtrobique ratio: nam Fiſcus ideò non capit peregrinos nummos, nè quid peregrinæ dominationis occurrat ſub oculis Chriſtianiſſimi Regis: ita nec etiàm vrbs regia peregrinas leges audire poteſt, nè quid regi ſuo peregrinæ ſeruitutis obtrudat. Et hinc hodiè non immeritò mirantur omnes boni, quomodo Galli homines, ijſque regij profeſſores, Lutetiæ Romanas leges docere velint, niſi fortè aliquam Romanæ ſeruitutis notam Chriſtianiſſimis Regibus in ſuo ipſo ſolio inuerecundè obijciant.

Nec quis illud ſingulare dicat in Gallia, vt nempè Lutetia iuris ciuilis profeſſores non habeat, cum tamen hodie nobis ea ſit μητὴρ πολὶς: nam & hoc ita obtinet in tota ferè Europa. In ditione Rom. Eccleſiæ, iuris vtriuſque facultas non Romæ inſtituta eſt, ſed Bononiæ: Veneti nec eam habent Venetijs, ſed Paduæ:

dux Hetruriæ, non Florentiæ, ſed Piſæ: duces Mediolanenſes, non Mediolani, ſed Patauij: Reges Angliæ, non Londini, ſed Oxfordi: Hiſpani non Madricij, ſed in vrbe Conimbric. & Salamant. Imperatores, non Viennæ, ſed in alijs Ciuitatibus. Adeò nunquàm principes domi ſuæ alienas leges audire voluerunt.


Nec obſtat quód in ipſo etiam Senatu Pariſienſi Senatores, aliique omnes Magiſtratus municipales non aliter admittantur, quàm ſi de legibus Romanis reſponderint: ergo leges illæ, vel etiàm apud regale ſolium, vim & authoritatem habent illæſa maieſtate regia. Nam examen illud fit quidem ſacra vice, & iuſſu Chriſtianiſſimi Regis, ſed in curioſo conſilio: illæ autem leges ſubiectis omnibus ex publico ſuggeſtu exponerentur: Nec vllus vnquàm inficias ire poteſt, quod in aure dicitur, non æquè populorum mentes mouere & afficere, ac illud quod ſuper tecta prædicatur. Ita enim Imperatores prohibent, *nè quis de fide Catholica publicè contendere audeat*, & potiſſimùm de illius apicibus, & tamen de iis intra priuatos parietes agere permittunt, atque etiàm in Scholis, dummodò illud fiat obducto, non etiàm patente velo. Et rationem indicant eleganter Patres Concilij Valentini tertii ſub Carolo Caluo *can. 6.* quia verendum & cauendum eſt, *nè publica diſputatione mentes Chriſtianæ corrumpantur, & excedant à ſimplicitate & caſtitate fidei, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Quod de priuatâ diſputatione inter peritos habitâ vix vnquam timeri poteſt. Sic etiàm Tertullianus contendebat olim præceptum de fuga in perſecutione priuatim datum fuiſſe ſolis Apoſtolis (& quidem ad tempus duntaxàt, quo nempè Chriſtus in viuis ageret) non etiàm in monte, non in Synagoga, nè fidelium mentes ab eius exemplo auocarentur, *qui oblatus eſt quia ipſe voluit*: ita & dici fortè poteſt, magiſtratuum candidatos in ampliſſimo Senatu de legibus Romanis reſpondere, & quidem remotis omnibus, nè Rex Chriſtianiſſimus leges illas palàm ſibi ſuiſque ſubiectis promulgare, & imponere velle videatur: quod faciliùs omninò conijci poſſet, ſi quidem expanſis velis, & ex publico ſuggeſtu recitarentur, ac docerentur.

Nec etiam obſtat quòd Romanæ illæ leges doceantur in noſtris Academijs, quæ pariter ſuſpendunt regia vela, ſeu quæ ſunt etiàm regiæ fundationis: Nam primò ius illud ijs conceſſum eſt, & Pariſienſi Academiæ denegatum, vt iam diximus. Secundò non

omnibus terris omnia signa, & nostras illas Academias sibi vindicat vnum illud astrum Romanæ Iurisprudentiæ, vt cum à sole nostro (puta rege) remotius fuerit, ille nullum ex eius aspectu deliquium patiatur. Vnde ad Parisienses Canonistas verba illa Iunonis ad pauonem apud Phædrum *lib. 3. Fabula 18.*

Noli adfectare quod tibi non est datum,
Delusa nè spes ad querelam recidat.

Christianissimorum Regum arbitrio ijs datæ sunt illæ partes, vt ius canonicum excolant: luxuriosa & amplissima est ea seges, in quam pauci adhuc Ioue probante falcem immiserunt: illi remaneant intra Sphæram illius actiuitatis, nec temerè in vetitum nitãtur.



CAPVT VI.

Rationes quibus probandum videtur, ius ciuile Parisijs expositum.

CVm Parisienses canonici iuris professores patronis & defensoribus non careant, ijsque magni nominis, & maioris laterculi: in eorum rationes inquirere non inconueniens erit, ac postmodùm eas facili negotio elidere, vt ita euidens causæ iniquitas bonos omnes auertat ab eorum patrocinio.

Primò igitur cùm sint Doctores iuris Pontificij, vtuntur *lege 2. §. omnium tamen d. de Orig. iur.* vbi sic habet: *omnium tamen harum legum, & interpretandi scientia & actiones apud Collegium Pontificum erant.* Hoc confirmauit Liuius *lib. 9.* & M. Tullius *lib. 2. de legibus.* Vbi docent ius ciuile abditum esse in penetralibus Pontificum. Atque etiàm cum hodiè omnes ferè Canonum & Decretalium collectiones Iurisconsultorum responsis, iuris ciuilis regulis, & Imperialibus constitutionibus aspersæ sint: cum summus Pontifex *in cap. 1. ex. de oper. no. nunt.* agnoscat sacrorum statuta Canonum, Principum constitutionibus adiuuari: vix est, vt ius canonicum rectè docere possint, nisi ius ciuile aggrediantur: sicque vtuntur vulgata illa Scæuolarum sententia, *nemo bonus Iurisconsultus, nisi bonus Pontifex.*

Secundò à ratione ad exempla, vt nempè ostendant, iàm olim ius ciuile Parisijs expositum fuisse: verba illa Rigordi afferunt, quasi Parisiensem Academiam describant, qualis esset Philippi Augusti

tempore. *Cùm itàque in eadem nobilissima ciuitate, non modò de triuio & quadriuio, verùm & de quæstionibus iuris canonici, & ciuilis, plena & perfecta inueniretur doctrina, feruentiori tamen desiderio sacram paginam, & quæstiones Theologicas docebantur.* Quid sibi velint ea verba, *non modò de triuio & quadriuio*, explicat Mathæus Paris in Ioanne *ad an. 1201. in triuio & quadriuio peritissimus, id est, in septem liberalibus artibus*: & ità in triuio, id est, in Grammatica, Rhetorica, & Logica: in quadriuio, id est, in quatuor artibus Mathematicis, Arithmetica, Geometria, Astrologia, & Musica. Ijs addendus *Vossius lib. 1. de vitijs sermonis cap. 26.*

Tertiò Quercetanus *to. 5. hist. Franc. pag. 323.* exscribit antiqua quædam carmina, quibus enumerantur viri quidam literati Parisienses sub Ludouico octauo, ex quibus quidam ius ciuile docuerunt.

Altisoni iactet dictantem jura Philippum.

De eo canonici iuris Doctore, sic paulò post adhuc.

Quæque inerant illi diuinitùs omnia quondàm
Decreta, & sacras claudens in pectore leges.

Ibidem etiàm de quodam Stephano, & Ansello, iuris ciuilis Doctoribus.

Ille Eduæ Stephanus maior Leuita, lucrosis
Assiduus studijs, à quo decisio legum
Quæritur, & nostri monstratur regula iuris.
Cum super excellens legum iurisque peritus
Ille inter proceres intraque Palatia magni
Nominis Ansellus.

Ac tandem volunt Guidonem Grossum aliàs Fulcodium ius ciuile docuisse Parisijs, & posteà fuisse summum Pontificem, & appellatum Clementem quartum.

Quartò Benjamin Tudelensis, sub eodem Ludouico octauo agens, in suo Itinerario in fi. sic loquitur: *sex dierum itinere peracto, me contuli Parisios vsque, maximam regni totius Metropolim, Ludouici Regis Regiam, iuxta Sibam fluuium sitam, in qua sapientum discipuli sunt omnium, qui hodiè in omni regione sunt doctissimi, qui noctù ac diù legis studio incumbunt.*

Quintò cum Honorius tertius in hoc nostro Capitulo prohibet, nè ius ciuile doceatur Parisijs, hinc quidam hodiè putant antè illam constitutionem, illud ibi expositum fuisse, quasi summus ille Pon-

tifex non alia ratione illud prohibuerit, seu quasi prohibitio illa iampridèm receptum eius docendi vsum adstruat, & volunt Pasquierum *lib. 9. disquisit. cap. 28.* eius fuisse sententiæ.

Sextò Conradus *in lib. de casibus Monasterij Sangallensis cap. 5.* agens de Vodalrico Abbate illius Monasterij, sic loquitur *informatumque Parisios, ac Bononiam transmisit, iurisque peritiam cum summa diligentia repatriatum omnibus bonis conformatum ad summa prouexit.* Et paulò post. *In iure Forensi & Ecclesiastico quidquid excogitare poterat, faceto mineruæ poculo cunctis audientibus propinabat.*

Septimò Mathæus Paris *in Henrico tertio ad an. 1256.* ait, *crebrescentibus scandalis, & odijs, inter magistros Parisienses, & Fratres Prædicatores, electi sunt cum magna deliberatione quidam celeberrimi magistri Lectores.* Et paulò post. *Magister Nicolaus de Baro super albam, qui rexerat in artibus, legibus, & decretis, ad legendum in Theologia præparatur.*

Octauò in ea ipsa iuramenti formula, quod Parisiensis Vniuersitas Blanchæ Reginæ præstitit, sic habet: *Bacalarij verò decretales & leges legentes, se speciali iuramento obligabunt.* Et paulò post. *Qui auditores legum & decretalium, nec etiàm alij, nisi alicuius magistri actu Regentis, bis ad minùs in septimana scholas intrauerint, scholares nullatenùs reputentur.*

Nonò cum Accursius *ad l. quinque pedum. Cod. fin. Reg.* addidisset ea verba: *quænam esset ea præscriptio, Petrus Baylardus, qui sanum cuiusque legis intellectum sua ætate pollicebatur, hic dixit, nescio*: contendunt eum esse Petrum Abælardum, quem Parisijs docuisse constat.


Decimò magnus Molinæus ad consuetudinem Aurelian. art. 273. sic loquitur: *Io. Igneus, qui tempore Ludouic. 12. fuit Doctor, actu Regens in iure ciuili, in Academia Parisiensi.* Sic etiàm Rebuffus & Balduinus ius ciuile palàm docuerunt Parisijs.

Vndecimò Parisiensis Vniuersitatis reformatio, facta olim sub Cardinali *de Toutte ville* permittit in ea ius ciuile legere.

Duodecimò insigne quoddam habent Epithaphion cuiusdam Doctoris legum, & de suo addunt, *Parisiensis.* Proponunt plures schedulas, multa aduersaria, plures priuatas annotationes, ex quibus probare contendunt Memmium, Cujacium, & alios id genus in Paris. Academia ius ciuile docuisse.

Denique

Denique in alijs regni Academijs ius ciuile docetur, cùr non & in Parisiensi? cùr Lutetiæ, ornamentum illud denegabitur? quæ est caput regni: cùr Paris. proceres, liberos suos à suo gremio dimittere cogentur, ad alias ciuitates? & hìc exscribere possunt luculentissimam Plinij epistolam 13. lib. 4.



CAPVT VII.

Respondetur argumentis, superiori capite allatis.



EOdem ordine, aduersariorum argumenta elidere iuuat, quo proposita sunt superiori capite.

Primò cum obtendunt illud Dyonisij, Liuij, & Pomponij, *legum interpretandarum scientiam fuisse apud Collegium Pontificum*: Statim ex eodem Pomponio dicendum est, populum Romanum, non diù ea consuetudine vsum fuisse: nam & ea vix conueniebat officio & dignitati Pontificum, vt à sacris ad prophana negotia diuerterent, & omninò repugnabat legi duodecim tabularum, cuius ea verba extant *apud M. Tullium lib. 2. de legib. publicorum Sacerdotum duo genera sunto, vnum quod præsit sacris & cæremonijs, alterum quod interpretetur fatidicorum & vatum effata incognita.* Nihil quidquam ibi de rebus prophanis, nihil de priuatis litibus, nihil de officio ius dicentis. Nàm ipsimet Romani agnoscebant, non tantùm honori personarum, sed & majestati Dei satiùs esse, vt eius sacris vacarent Sacerdotes, quàm de forensibus negotijs sententiam dicerent. *l. non distinguemus 32. §. Sacerdotio. d. de recep. qui arb. recep.* Ita & cum afferunt illud Scæuolarum *neminem esse bonum Iurisconsultum, nisi qui sit bonus Pontifex*: Ad hoc bellissimè omninò M. Tullius *lib 2. de legib. quid ad Pontificem, de iure parietum, aut aquarum, aut vllo omninò?* Et paulò post. *Hoc ego loco multisque alijs, quæro à vobis Scæuolæ Pontifices maximi, & homines meo quidem iudicio acutissimi, quid sit, quòd ad ius Pontificium, ciuile appetatis? ciuilis enim iuris scientiâ Pontificium quodammodò tollitis, nàm sacra cum pecunia, Pontificum authoritate, nulla lege conjuncta sunt.* Ac tandem cum afferunt nihil frequentiùs occurrere in suo iure canonico, quam iuris ciuilis regulas, aut definitiones: Respon-

dendum eſt, ſicùt Theologus Philoſophiam calleat neceſſe eſt, quam tamen ex profeſſo non docet, ita & lubenter agnoſcam, canonici iuris profeſſori, neceſſariam eſſe iuris ciuilis cognitionem, dummodò illud publicè non doceat, & ſuam tantummodò Spartam ornet.

Secundò quod Rigordus ait ſuo tempore Pariſijs magnam fuiſſe iuris ciuilis ſcientiam; eo referri poſſunt, quæ Stephanus Tornac. Epiſcopus, ijſdem ferè temporibus agens, ſcribit *in epiſt. 198. Compromiſſum ſuſcipite, ita tamen quod in ciuitate Pariſienſi, vel in proximo ciuitati loco, negotium non tractetur, nè multitudine molis ſuæ, tàm in aduocatis quàm in prudentibus & potentibus viris, quibus non parum ciuitas abundat, noſtra & veſtra paruitas opprimatur.* Nam nihil aliud Rigordus indicare velle videtur, quàm Lutetiæ, plures fuiſſe iuris peritiſſimos aduocatos, & plures prudentes, ſeu Iuriſconſultos *pluſieurs conſultans*: Nec ideò ſequitur Lutetiæ à Philippo Auguſto inſtitutos fuiſſe iuris ciuilis profeſſores, qui publicè illud docerent. Ex Gregorio Turon. conſtat, ſub prima ſtirpe in Gallia quoſdam fuiſſe peritiſſimos Rom. legum, quæ videlicet in Cod. Th. extabant: Ergo leges illæ tunc temporis publicè docebantur: non ſequitur. Carolus M. Compendii agens ſecum habet legis Doctores, vt palam eſt ex quadam charta, quam exſcribit *Belyus inter probat. hiſt. Comitum Pictau. p. 227.* an ergò Compendii publicè docebantur leges Romanæ? ita & in ciuitate Rhedonenſi ampliſſimus ordo Aſylus eſt iuris ciuilis: Rhedonenſis aduocatio ius illud in melius quotidiè producit, atque etiàm vmbratici quidam leguleii Germanam hanc Iuriſprudentiam contaminant in famoſis pergulis: Sicque non tàm malè dixeris Rhedonibus maximam eſſe iuris ciuilis doctrinam: & tamen non ideò ſequitur, Rhedonibus regios eſſe iuris ciuilis profeſſores. Ac tandem conſtat ciuitatem Pariſienſem *ſibi nec immeritò vſurpaſſe doctrinam*, vt loquitur ille idem Stephanus *in ep. 160. difficilium quæſtionum intricatiſſimos nodos Pariſijs reſolui, ex legibus & decretis*, Petrus Bleſenſis *in ep. 19.* (ex qua obiter obſeruandum eſt, deſumendam eſſe ſpeciem *cap. 12. ex. de conuerſ. coniug.*) & tamen ex iis neceſſariò non colligitur, Lutetiæ inſtitutos fuiſſe quoſlibet profeſſores, vel etiàm iuris ciuilis: nàm hoc ſemper prohibitum fuiſſe ſuo loco probauimus.

Tertiò nunquàm inficias ire velim, Lutetiam ferè ſemper fuiſſe

χωρίον εὐμουσότερον locum doctrina insignem, vt de Cpoli Themistius *in orat. 12.* Fatear lubens, semper litteratos atque etiam iuris vtriusque peritissimos floruisse Parisiis: sed non ideò sequitur, eos ibi ius ciuile palàm docuisse, cum aliàs de contrario constet. Philippus (qui ex Decano Pictauensi, electus est Pictauensis Episcopus) iura dictauit Lutetiæ, puta Decreta sacrorum Canonum, & sacras leges, vt ibi subiicitur: & hic clericus, ac fortè iuris canonici professor. Stephanus Eduensis nunquàm pro iuris ciuilis professore accipi potest, quamvis fortè illud probè calluerit: Nam Chronicon Altissiodor. *ad an. 1207.* ait, *eum fuisse virum vita honestum, & præclarum inter Paris. magistros, tàm facundià quàm scientià scripturarum*, nempè diuinarum. Ansellus erat nobilis Paris. & Aulicus Philippi Augusti, ac tandem Meldensis Episcopus, & quidem doctissimus Theologus, vt de eo Ioannes Saresber. *lib. 1. Metalogici cap. 5.* Licet verò legum iurisque peritus fuerit, nullibi tamen extat, eum iuris ciuilis fuisse professorem. Sic enim Magistri, Brissonii, Thuani, & alii similes iuris vtriusque peritissimi fuerunt, nunquàm tamen eius professores. Denique Fulcodius, posteà Clemens quartus, fuit quidem *Durando* lumen iuris, *Platinæ & Onufrio* peritissimus Ictus. Sed constat *eum fuisse famosum aduocatum in Curia Franciæ*, id est, in Senatu Paris. vt ex quibusdam Chronicis legitur *in indice Parisiensium aduocatorum, inter opera Loyselli*, non etiàm iuris professorem: provt fortè S. Athanasius à Seuero Sulpitio dicitur Iurisconsultus, id est, aduocatus. Et ita illustrissimæ Parisiensi aduocationi, suum hunc principem relinquant, summum illum Pontificem, qui Alexandros & Innocentios habent, olim iuris professores.

Quartò Beniamin Tudelensis, cùm esset Iudæus, Lutetiæ Iudæos potissimùm inuisere curauit, eosque laudat, tùm quòd suos fratres Iudæos, & quidem peregrinantes benigniùs reciperent: tùm quòd diù noctuque legis studio incumberent, id est, legis Mosaicæ, quam solam colebant, & addiscere solebant Iudæi.

Quintò rectissimè quidam obseruant, non prohibuisse Honorium, ne deinceps aut in posterum ius ciuile doceretur Parisiis, sed simpliciter, *nè doceatur*: non quòd anteà publicè doceretur in Paris. Academia, sed quòd non immeritò timeretur, ne à priuatis pergulis in eam irreperet, vt iàm diximus: est enim legis vetare, ne quid fiat *l. 7. d. de legib.* quod qua ratione & occasione, diximus suo loco. Et

Pasquierus ibidèm asserit, nunquàm Parisiis institutam fuisse Academiam pro legibus, aut iure ciuili, vt loquitur. Quod enìm *lib. 9. cap. 28.* tentat ex Rigordo, ius ciuile in Paris. Vniuersitate sub Philippo Augusto expositum fuisse, non vnius est assis, vt suprà ostendimus, & ille ipse illud quasi absurdum reiicit *in fine illius cap. & in cap. 37.*

Sextò cum Philippi Augusti temporibus S. Vodalricus Parisios, & Bononiam profectus est, & hinc Grammaticæ, Dialecticæ, & Iuris peritus rediit in patriam, iuris scientia Bononiensi Academiæ accepto ferenda est. Cum enìm Irnerius tum primùm ius ciuile docuisset Bononiæ, ab eo multi Antecessores in Academia illa floruerunt, ita vt Bononia legum studio insignis esset. Hinc Stephanus Tornac. *in ep. 82. Bononiensium auditoria fabriles diximus officinas togatorum & litigantium.* Hinc ille ipse Stephanus, Lanfrancus, Petrus Blesensis, & alii ferè omnes magni viri eius temporis, atque etiàm S. Vodalricus iuri ciuili Bononiæ studuerunt, Lutetiæ autem, aliis disciplinis.

Septimò quamvis dici posset Monasticum illud esse delirium Mathæi Paris, cum eo ipso tempore scripsit Nicolaum quemdam Parisiis rexisse Scholas iuris ciuilis, quo illi ipsi Parisiensis Academiæ fundatores, summus Pontifex, & Rex Christianissimus, ius ciuile Parisiis doceri prohibebant: & ita ignoscendum esse huic somnianti, & in Anglia delitescenti Monacho, quòd eas Honorii & Philippi constitutiones ignorauerit. Sed Mathæus Paris, & alij similes interpretationem bellissimè accipiunt *ex ep. 97. Stephani Tornac. Episcopi*, vbi agit de quodam studioso adolescente S. Genouefæ Paris. Canonico, & sic loquitur: *quod autem de ipso nobis per literas vestras intimatis, vel in montem, vel ad Parisiensium sæcularium Scholas, & venditores velorum mittendo, saluâ gratiâ vestrâ non admittimus.* In montem, id est, in eum locum vbi solemnes & publicæ Scholæ, vel vt in simili loquitur S. Augustinus, *vbi publica professio & ante oculos omnium sita.* Constat enim, & Pasquierus agnoscit Parisiensem Vniuersitatem sitam esse in monte. Sed alibi, seu in alijs regionibus vrbis, quædam erant priuatæ magistrales pergulæ, in quibus soli velorum venditores agebant. Hoc etiàm agnoscit Brulius *lib. 2. Antiq. Paris.* Sicut enim Romæ quidam professores in publicis Magistrationibus docebant, & in Capitolio sacrum habebant audi-

torium, ijque ſoli priuilegiis gaudebant: alij autem erant, qui docebant tantùm intrà priuatos parietes, & in priuatis pergulis, aut cellulis *l. 2. Cod. Th. de ſtud. lib. vr. Ro. & Conſt.* & illi erant tenebriones, & famoſi Magiſtelli: quales olim M. Tullius, cum eſſet Cenſor, edicto ſuo ſuſtulerat, quòd obtunderent adoleſcentum ingenia: Ita & Pariſijs in monte publicæ erant Scholæ, in quibus erant tantùm magiſtri Theologiæ, Decreti, Medicinæ, & Artium, nunquàm verò iuris ciuilis: ſed alibi priuatæ erant ſæcularium Scholæ, in quibus fortè quidam erant leguleij, Stephano *velorum venditores,* nobis hodie *des ſiffleurs*: Et ex ijs Nicolaus ille fuit, qui Scholas iuris ciuilis rexiſſe dicitur, apud Mathæum Paris. Sed hoc nihil ad Scholas publicas & regias, de quibus tantùm inſtitutus ſermo.

Octauò cum ſolemnis formula iſtius iuramenti, primo loco ponit Vniuerſitatis profeſſores, & in ima cera Baccalarios illos ſubijcit, qui leges legunt, & legum auditores habent, hoc manifeſtè probat, quod ſupra diximus *ex ep. 97. Stephani Tornac.* alios fuiſſe Vniuerſitatis profeſſores, qui in monte docebant Theologiam, Decretum, Medicinam & liberales artes: alios verò fuiſſe, qui ſeorſim in priuatis cellulis ius ciuile docebant, qualis erat magiſter ille Nicolaus, de quo ſupra ex Mathæo Paris: ac licet illi non gauderent priuilegijs, attamen certis quibuſdam legibus coerceri & conſtringi poterant, *d. h. 3. Cod. Th. de St. lib.* putà vt ſeruarent pacem villæ pro poſſe ſuo, vt eſt *in iſtius iuramenti formula*, quod vnum ab ijs eo tempore petebatur. Quodque diſtinctionem noſtram adſtruit, in ea formula non aliter illi auditores legum & Decretalium pro ſcholaribus Vniuerſitatis habentur, quàm ſi alicuius magiſtri actu Regentis bis ad minus in ſeptimana Scholas intrauerint: Nam ita ſcholæ Baccalariorum non habentur pro ſcholis Vniuerſitatis, quas ſoli magiſtri regebant, & in ijs docebant tantùm Theologiam, Decretum, Medicinam & artes liberales, vt eſt in principio iſtius formulæ. Et ita facilè crediderim me ſemper habere intentum, ſi conſtet Pariſijs nullos omninò profeſſores in Scholis publicis, ius ciuile docuiſſe: quod etiàm ſuo tempore ſtrictiùs obſeruatum fuiſſe, ſcribit Chaſſanæus præſes Burgundiæ *in Catal. glor. mun.*

Nonò mihi non ſatis conſtat, qua ratione dicere poſſint Petrum Abælardum eumdem eſſe, cum Petro illo Baylardo, cuius meminit Accurſius. Primò enim ambo non ſunt cognomines. Secundò ip-

ſemet Petrus Abælardus *in ep. 1.* ſigillatim indicat, quas Scholas rexerit, & Meloduni, & in Caſtro Corbolij, & in Monaſterio S. Genouefæ, quod tunc erat adhuc in ſubvrbijs Lutetiæ, & in ipſa ciuitate Pariſienſi: Sed in ijs omnibus vel Dialecticam rexit ſeu docuit, vel Philoſophiam, vel Gloſſas quaſdam edidit in quoſdam ſacræ ſcripturæ libros, ac ne verbum quidem de iure ciuili. In ea epiſtola, totius vitæ & calamitatis ſuæ ſeriem fuſiùs aperit, nec tamen vſpiam iuris ciuilis meminit, quod ſanè non omiſiſſet glorioſus ille magiſter. Qui volunt Tertullianum Iuriſconſultum, eumdem eſſe cum magno illo Tertulliano Africano, facillimè probant magnum illum patrem benè fundatam habuiſſe iuris ciuilis ſcientiam; ſolus Apologeticus probat plus ſatis, eum fuiſſe iuris noſtri ſcientiſſimum. Sed ex Petri Abælardi operibus probare nunquam poteris, eum vel ab ipſo limine ſalutaſſe ciuilem ſapientiam. Sicque fruſtra ſunt qui cum Petro Baylardo, Petrum Abælardum promiſcuè habent.

Decimò ſicut dubitatum eſt olim, an Marcellus noſter Sabinianus fuerit, an Proculeianus: ità & iure dubitari poteſt, an Ioan. Igneus fuerit Aurelian. Anteceſſor, an Pariſienſis Canoniſta. Molinæus eum Pariſ. Academiæ vindicat: Aurelianenſis Academia eum contra vindicat quaſi ſuum, & eius acta & veteres membranæ ſuum hunc Anteceſſores habent. Dargentræus *in conſuetud. Britan. artic. 266. cap. 8. num.* 1. ijs adſtipulatur ijs verbis *Ioan. Igneus profeſſor legum apud Aurelios, poſtremò & Rothomagi præſes, qui & ipſe res egit.* Hoc etiam hodiè aſſerit alter ex Pariſienſ. Canoniſtis, nec decus illud eripere potuit matri ſuæ Aurelian. Academiæ. Sed ſicut verius eſt, Marcellum fuiſſe Proculeianum, quamvis aliquandò tranſeat in Scholam, & ſententiam Sabinianorum: ita & conſtat Igneum fuiſſe Aurelian. Anteceſſorem, quamvis aliquandò ius ciuile Pariſijs docuerit: & quidem ideò fortè quòd cum à Franciſco primo nominatus eſt præſes in Senatu Rothomag. quaſdam iuris ciuilis prælectiones Pariſijs habere voluit, vt ità eruditionis ſuæ quadam veluti teſtatione publica, ſuæ nominationis æquitatem confirmaret; & hoc ſubitaneum & improuiſum, nihil quidquam iuris tribuit Pariſien. Academiæ.

Sic etiàm Rebuffus Lutetiæ quidem aggreſſus eſt *tit. de verb. ſig. ex lib. 50. dig.* ſed vt ipſe teſtatur *in ferijs & vacationibus*: Eumque titulum, ſicut & libros inſtitutionum iuris ciuilis, quibuſdam prin-

cipibus viris interpretatus eſt, vt etiàm ſcribit *in ea epiſtola ad lectorem, quæ illius commentario præponitur.* Ergo non in Scholis publicis. Quodque notandum eſt, cum Pariſijs ageret, à ſupremo Senatu ei ferè inuito datum eſt *munus iura Canonica profitendi*, vt habet *illius vita, eidem operi præfixa* : Vnde veriſimilius videtur, eum non niſi inuita Minerua ſcripſiſſe, ius ciuile doceri poſſe Pariſijs.

Balduinus fuit ex ijs, quos appellant Gyrouagos, ac vix vnquàm habuit certam ſtudiorum ſtationem. Nam in Germania, in Belgio, in Galliâ paſſim ius ciuile docuit: Perinde ac Antonius Rambodus hinc inde currens ius ciuile docuit, in multis Academijs Franciæ, *vt ſcribit in ep. ad lectorem, quam præpoſuit operibus Guidonis Papæ.* Imo & ſicut Ancharanus *ad cap. 2. de ſepult. in Clem.* ait, *ſe Venetis operam ſuam locaſſe ad lecturam Decretalium* : Ita & Balduinus hinc inde captabat Honoraria, vt ius ciuile doceret, & Lutetiam reuerſus initio ſecundi belli ciuilis quoſdam titulos pandectarum ibi expoſuit, vt ſcribit *P. Maſſonus in eius vita.* Sicque nihili eſt exemplum Erronis, & quidem in ciuili tumultu: Rectiſſimè enim Ancharanus *ad cap. 2. de priuil. in 6. non alia ciuitas quantumvis regia Scholas iuris ciuilis habeat, quàm quæ ius illud à principe acceperit, niſi ex cauſa neceſſitatis, putà quando propter guerram, vel peſtem ingentem, in loco ſtudij approbati Doctores & auditores in aliam ciuitatem ſe tranſtulerunt.* Ac tandem D. Cujacius virorum omnium doctiſſimus Lutetiæ ius ciuile docuit : Ergo illud etiàm concedendum................ frigidam hanc illationem ingenuus eorũ pudor diſſoluit plus ſatis, nec ampliùs eum ſuggillare mens eſt, cum & aliàs conſtet huic magno viro illud ita conceſſum fuiſſe extra ordinem, vt mox videbimus.

Vndecimò reformationem illam in eo articulo ſcriptam, nec vſus ipſe probauit, nec eam pati potuerunt ſacræ conſtitutiones, quibus prohibitum eſſe diximus iàm toties, *ne ius ciuile Pariſijs doceretur.* Et hinc cum Ordo ampliſſimus eamdem reformationem aggrederetur, *an. 1534. die 13. Iunij*, & eius Cardinalis ſtatuta examinaret, de ſola facultate decreti egit : ſolius iuris canonici materias, titulos & horas ſingulis eius profeſſoribus aſſignauit, nè momentum quidem pro iure ciuili. Eius Sti ſupra meminimus : eoque nominatim cautum eſt, vt qui ab ea facultate ad gradum aliquem promoueri voluerit, *de ſolo iure canonico reſpondeat.*

Duodecimò nunquàm ſatis mirari poſſum, profeſſores illos no-

luiſſe adhuc originales tabulas (vtar verbo Tertulliani) ſuæ fundationis edere : Iurarem vtique Iouem lapidem, in ea nè verbum quidem de iure ciuili, ſed tantùm de iure canonico. Ac proindè contra ſuum propriumve titulum, ex domeſticis quibuſdam ſchedulis, nulla præſcriptione vti poſſunt, vt iuris ciuilis docendi facultatem ſibi aquirant *l. in Cui. 11. d. quem ſerm. am.* Cùm priuatæ annotationes, & domeſtica, ſeu de domo petita inſtrumenta nunquàm proſint, ad nouum ius aquirendum in extraneos *l. 5. & 7. Cod. de prob.*

Sic ex Paſquiero exſcribunt Epitaphion *Philippi de Volognano legum profeſſoris*, qui Pariſiis obiit *an. 1317.* & volunt eum fuiſſe Pariſienſem legum profeſſorem, cum tamen nihil omninò habeant, vndè probare poſſint, eo tempore Pariſiis permiſſam fuiſſe legum profeſſionem, quod ibidem negat præcisè Paſquierus. Et ideò fortè non additur, cuius Academiæ profeſſor eſſet, quià erat ex iis, qui ius ciuile Pariſiis docebant in priuatis cellis. Atque etiàm non illi ſoli legum Doctores olim dicebantur, qui eas publicè docebant, ſed alii quilibet iuris periti, vt ſupra docuimus num. 2.

Purè ſcribunt præſtantiſſimum Cuiacium in Scholis Pariſienſibus ius ciuile docuiſſe, & ſupprimunt aut reticent decretorium hunc ſtylum, *attendu la qualité du temps, & ſans tirer à conſequence.* Vnde obſeruandum, qua etiàm fide ſcribant, plures alios idem præſtitiſſe Pariſiis, cùm tamen verba illa probent plus ſatis, aliud iure communi obtinuiſſe.

Sed hic vnum pro omnibus. Scribunt Henricum Memmium *an. 1551.* in Scholis publicis legiſſe inſtitutiones iuris ciuilis : quod qua fide ſcriptum, teſtatur ille ipſe Memmius *apud Ioan. le Laboureur ſur les additions de Michel Caſtelnau pag. 839. Nous fuſmes à Paris le 7. Nouembre 1550. le lendemain ie diſputay publiquement és Eſcholles de Decret, en grande compagnie, preſque de tout le Parlement, & trois iours aprés ie prins les points, pour debattre vne regence en Droit Canon, & repetay ou leu publiquement enuiron vn an.* Ex vngue Leonem. Si quidem non ſatis bonæ fidei fuerint, in duobus illis ſine exemplo maximis, Memmio & Cujacio, quantùm in aliis veritatem interpolent, deprehendi facilè poteſt. Nec muſſitent eumdem Memmium in Scholis Decreti legiſſe inſtitutiones : primò enim in ea Chartula τῶν εἰς ἑαυτον non meminit inſtitutionum : ſecundò ait ſe iàm olim eas docuiſſe Tholoſæ, quod etiàm Lutetiæ peractum


forte

fortè non omisisset, vbi studiorum suorum rationem exactissimè reddit.

Prætereà quamvis vel Senatus amplissimus, vel etiam canonici iuris Facultas, in Scholis Decreti ius ciuile profiteri, quibusdam aliquandò permiserit, (*nam in quadam ciuitate Scholas regere non licet sinè eorum consensu, qui de iure Scholarum magisterium habent*, ait Ioannes Saresb. *in ep. 19.*) vel propter pestem, aut bellum, aut tumultum, quæ grassabantur in alia quadam Academia, vel vt quidam ingenui adolescentes eruditionis suæ periculum facerent: non ideò tamen ad publicam iuris illius professionem quæsitus, videtur titulus. Sicut verò cum Romani adolescentes Athenis redibant Romam, coràm amicis declamare solebant, nec quid frequentius Horatij, Iuuenalis, Plinij, Taciti temporibus: Ita & olim cùm Parisiensium procerum liberi Tholosâ, Biturigibus, Aureliâ, Andegauo ad patrios lares remeabant, vt ostenderent se non redijsse inanes, quasdam iuris ciuilis prælectiones habere solebant Parisiis: & vt studia sua sub solem reuocare viderentur, à Parisiensibus iuris canonici professoribus, publicam Decreti Scholam commodatò accipiebant. Ijs temporibus iuris studiosi hoc plurimùm pertinere putabant ad suum honorem, si publicas prælectiones haberent vel Parisiis, vel in ea Academia, in qua iuri dederant operam. Hoc de patre magni Bignonij elegantissimè docet author Indicis aduocatorum Paris. *an. 1599. lors que Monsieur Roaldès se retira de l'Vniuersité de Thoulouse, en celle de Cahors, il laissa en sa chaire de Docteur Regent M. Hierosme Bignon, lequel*, comme c'estoit à lors chose honorable, *y enseigna publiquement pendant vne année.* Sed ideò non sequitur eos omnes regijs, & publicis auspicijs ius ciuile docuisse: cumque Parisienses Canonistæ suas ædes publicas ingenuis illis adolescentibus lubentissimè commodarent, vt ita iuuarent, & excitarent eorum studia: Iniquum esset, eos ex precaria & honesta illa concessione, ius aliquod sibi vindicare in alios Galliarum Antecessores, qui conniuentibus oculis egregium illud institutum patiebantur.

Denique Christianissimi Reges concedunt in nostris Academijs ius ciuile doceri, cur non etiàm in Parisiensi? Sequenti capite circa finem argumentum illud elidetur, & de eo iampridem paucis actum est *cap. 5.* circa fin. Vnum illud addere iuuat ex rescripto Philippi Pulchri iam totiès laudato, vt probetur qua ratione Reges no-

ſtri ius ciuile doceri velint in ſuis Academijs. *Sicut artium ſtudia liberalium, ad Theologiæ ſcientiam introducunt: ſic legum & iuris ſcripti dogmata perficiunt intellectum rationis, ad mores dirigunt, doctrinam præſtant exequendæ iuſtitiæ, nec non præparant ad conſuetudinum intellectum. Sic profectò tradit antiquitas, Romanos à Græcis, pro ſui eruditione, ius ſcriptum & mores ab initio recepiſſe. Placuit ergò noſtris Anteceſſoribus, placetque nobis legum etiàm ſæcularium ſcriptique iuris (ſalua Pariſ. ſtudij prouiſione prædicta) in locis egregijs regni noſtri ſtudia frequentari, præſertim ad doctrinam æquitatis & rationis fouendam.*



CAPVT VIII.

Pariſienſes canonici iuris profeſſores, ſuos auditores ad forum dimittere non poſſunt.



Væ ſequuntur, non valdè pertinent ad noſtrum capit. *ſuper ſpecula*: Fortè tamen ea tractare non inconueniens erit, vt aduerſariorum noſtrorum tela elidantur. Crediderim facilè Pariſienſes canonici iuris profeſſores non admodùm curare, an ſolum ius canonicum, an etiàm ius ciuile doceant, dummodò ſuos canonici iuris auditores ad forum dimittere poſſint, ſeu dummodò gradus in ſolo iure canonico ſufficiant, ad petendos honores fori. Et iàm ſatis diù omnem mouerunt lapidem, vt per fas & nefas eò peruenirent tandem. Sed hic docere iuuat. Primò nouum illud eſſe commentum. Secundò illud omninò ab eorum ſorte alienum. Tertiò iuri publico contrarium. Quartò perniciosum, aut vtique periculoſum. Ac ſemper vnum illud ex ſupradictis repetendum, eos eius non eſſe ſtationis, in qua ius ciuile docere liceat.

Primò igitur cùm Leo Imp. *in l. 7. Cod. de aduo. diu. iudicior.* prudenter conſtituiſſet, *non aliter aliquem ſociari poſſe aduocatorum conſortio, quàm ſi iuriſperiti eius doctores teſtati eſſent eum eſſe iuris peritia inſtructum*: Proculdubiò illud de ſolo iure ciuili intelligen-

dum erat, quod vnum eo tempore docebatur in Scholis. Sed cùm in Gallia inualuiſſet, non ſolum ius ciuile in Academijs doceri, ſed etiàm ius canonicum: Optima legum interpres conſuetudo Leoninam conſtitutionem ita confirmauit, & accepit, vt qui vel aduocatione fungi, vel iudicijs præeſſe velint, vtriuſque iuris peritiâ cenſeantur, ſed potiſſimùm iuris ciuilis, quòd ſæpiùs occurrant ciuilia negotia, vt mox videbimus, & vt ſuorum Anteceſſorum teſtimonialibus litteris ſuam hanc peritiam doceant. Vnde aduocati *Froiſſardo, Butillerio in ſumma rurali, & veteribus Romanenſibus* dicuntur *Cheualliers de Loix*: apud Tilium *viri legalis litteraturæ*, quos ex foro aduocauit Philippus Pulcher, vt Bullæ Bonifacij octaui reſponderet: Nobis hodiè *licentiés és Loix, licentiés és Droits.* Et hinc etiàm cùm Carolus octauus voluit, *vt in famoſa Vniuerſitate ſtuduerint, & ab ea digni iudicentur*: Ad eam probationem, ad illud examen, ea tantùm famoſa dici poteſt Vniuerſitas, in qua publicum ſit, & inſigne iuris ciuilis ſtudium, quia eius omninò periti eſſe debent, vt de prophanis, & ciuilibus negotijs agere poſſint. Vnde in Indice Pariſ. Aduocatorum *an. 1599.* (de quo poſtea) nullus occurrit licentiatus in Decreto. Ac tandem in Bleſenſi conſtitutione nominatim habet, *reſponderont trois iours aprés la loy priſe, tant ſur ladite loy, que ſur la pratique: & ſur l'ouuerture qui ſera faite à la fortuite, trois fois des liures de Droit.* Si de iure ciuili reſpondeant, huic apud nos operam dederint neceſſe eſt, ac proindè à nobis teſtimonialem miſſionem acceperint.

Ex ijs prouocare mihi liceat totam Galliam, ipſumque Senatum Ampliſſimum, an vllus vnquàm in eo, vel Magiſtratus, vel Aduocationis candidatus, de ſolo iure canonico reſponderit? Immò &, ex quo non ità pridèm inualuit, canonici iuris auditores matriculis forenſibus inſeri: Proferantur ſacri illi Codices, ex quibus materiam diſputationis, aut examinis ſortiri ſolent, an illi ſint libri iuris Pontificij, an verò iuris ciuilis? Quærere mihi liceat, an Ordo ampliſſimus candidatum aliquem de iure canonico interrogauerit vnquàm, aut etiàm hodiè interroget? minimè gentium, ſed tantum de iure ciuili. Eaque inueterata conſuetudo pro lege habetur, & contrariam abrogat: Ita vt Pariſienſibus canoniſtis rectiſſimè nouum opus nunciari poſſit.

Secundò vt probem quantùm ab eorum ſorte alienum ſit, iuris

ciuilis docendi munus & officium : Vtar verbis illis Angeli ad S. Ioannem in Apocalypsi *surge*, inquit, *& metire templum Dei, altare, adorantes in eo: Atrium autem quod foris est, ne metiaris illud, quoniàm datum est gentibus.* *Surgant* igitur canonici iuris professores, *& metiantur templum Dei*, hoc est, doceant quid sit Ecclesia, quænam illius partes, ad quid & quibus destinatæ: *Surgant & metiantur altare*, hoc est doceant ritus, cæremonias, & mysteria: Denique *surgant, & metiantur adorantes in eo*, hoc est doceant varios clericorum Ordines, & circà eos Ecclesiasticam disciplinam: Solæ illæ sunt eorum partes. *Sed ne metiantur atrium, quod foris est*, hoc est, ne cognoscant de ijs, qui secundùm Prophetam *in atrio, in porta sedere debent ad iudicandum*, vel vt loquitur Apostolus, *nihil ad eos de ijs iudicare, qui sunt foris*, qui de forensibus negotijs iudicaturi sunt: *Nam hoc datum est gentibus*: Hoc est, cognitio illa ijs tantùm demandata est, qui cum iure gentium, ius ciuile profitentur & docent: quod semper & ab omni æuo Paris. canonistis denegatum fuisse probauimus suprà. Sicque vel etiàm sola ipsius officij ratio postulat, vt canonici iuris professores curent de solo iure canonico, nec vllatenus de foro cogitent, aut ad illud auditores suos dimittant.

Sed ne longiùs petitum illud videatur: Constans ea fuit doctrina magni illius Ioan. Gersonis, qui quondàm fuit Cancellarius Paris. Academiæ, & eius dignitatem, & authoritatem peritissimè, & fortissimò propugnauit. In sermone pro iustitia ad Regem scribit, *Theologiæ facultatem separatam esse à facultate decretorum, & vtramque à facultate iuris ciuilis, propter diuersitatem obiecti*, quod ibi fusiùs exequitur, & hic exscribere longioris esset subsellij. Addit etiàm *eligibiliùs esse canonistæ pro sui complemento, Theologiam scire quam leges, cum à sæcularibus negotijs procùl abesse debeat.* In prima collatione *pro licentiandis in facultate decretorum*, cum ad verba illa Mathæi, *dominus his opus habet*, cum inquàm inquirit, ad quid dominus opus habeat, licentiandis in facultate decretorum, respondet *in vita spiritali, & Ecclesiæ administratione, cum Theologi non amplius sufficiant.* In collatione secunda pro ijsdem ad ea verba Petri, *conuersi estis ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum*, scribit, *licentiandos in facultate decretorum, per scientiam sacrorum Canonum, conuerti ad Deum, vt alias oues errantes ad eum etiàm conuertant.* Denique in tertia collatione ad ea verba Ioannis, *sicut misit me*

pater, & ego mitto vos, ait, *licentiandos in decretis mitti, ad pacem Ecclesiæ procurandam, ad extirpandos hæreticos, & ad Ecclesiasticum regimen.*

Vir ille insignis callebat omninò quid esset sui officij, quid suæ potestatis, probè sciebat quid iuris conferret licentiandis in facultate decretorum: Et tamen in ijs orationibus, in ea missionis aut licentiæ formula, nihil quidquam de forensibus negotijs, nihil de potestate iudicandi, postulandi, patrocinandi, sed tantùm de Ecclesia, de Ecclesiastico regimine, de vita spirituali: quippè qui non ignoraret vnum illud esse facultatis Canonicæ obiectum, eique soli tirones illos insudasse. Phormione dementiores viderentur illius professores, qui cum nec forum, nec vllum ciuile iudicium viderint, ad illud tamen imperitos etiàm adolescentes dimittere vellent. Delirus ille senex de re militari coràm Annibale differebat, eumque ità præceptis suis imbutum, mittere volebat in expeditionem: Sed illi iuris ciuilis imperiti (nec enim ad illud docendum, sacra præcedente probatoria, recepti sunt) eius etiàm ignaros adolescentes, ad ciuilium negotiorum discussionem dimittere contendunt.

Tertiò vt innotescat commentum illud esse contra ius publicum; inspicienda est prima fori, magistratuum, & aduocatorum origo. Et hoc fortè duas habet visiones: Cùm enim interpretes nostri agunt de iurisdictione & Imperio, alij seorsim Magistratus inspiciunt, vt ita doceant, quibus competat Imperium, & quibus iurisdictio sine Imperio: Alij causas ipsas, ipsave negotia seorsim etiàm considerant, quarum cognitioni addicendus est Magistratus *ex Aristotele in polit. lib. 6. cap. 8.* vt ita inquirant, quænam sint Imperij, quænam iurisdictionis. Vtrumque breuiter expendere iuuat, & Magistratus, & causas, quibus addicti sunt, quod vtrumque est iuris publici.

Cum princeps in quadam ciuitate auditorium instituit, tùm primùm Magistratus in eo creat, per quos leges perducantur ad effectum: Et vt ciues in iudicio persequi possint quod ijs debetur, aduocatos etiàm instituat necesse est, qui postulent, seu qui desideria ciuium apud Magistratus exponant. Vndè cum lege 12. tab. creatus est Prætor, qui Romæ iuri dicundo præesset, ille statim proposuit edictum de postulando, *habendæ rationis causa*, vt est in *l. 1. in*

prin. d de postul. id est, earum personarum discretionis faciendæ causa, quæ apud eum postularent. Eoque respiciens Guillelmus Paris. *in tractatu de Sacramento Ordinis* sic loquitur *princeps temporalis reipub. suæ prouidet, ne auditorio suo desint, qui pro reis, & oppressis, omnibusque indigenis interpellent.* Et ita forum, seu auditorium Magistratibus, & aduocatis constat.

Quia verò publicè interest, ne suprà plantam euagentur illi Magistratus, *vt est apud Ammianum*: Princeps ijs demandare debet quasdam Imperij sui partes, & certarum causarum cognitionem addicere: Sic Virgilius *5. Æn.*

Indicitque forum, & patribus dat iura vocatis.

Eoque loci Seruius, *dat iuris condendi potestatem his, quos appellauerat patres, aut certè vocatis patribus iura distribuit.* Et hoc fusiùs exequitur Tribonianus *lib. 1. Dig. & Cod. & in tit. de Iurisd.* Earum causarum qualitas, conditio, & natura indicant, cuius iuris peritiâ censeri debeant illi Magistratus, turpe enim est, vt immusici iudicent de musicis: Si ciuiles illæ fuerint, illi benè fundatam habeant ciuilem sapientiam: Si illæ militares, militarem disciplinam illi calleant necesse est. Christiani autem principes rem iudiciariam ita partiti sunt, vt quæ temporalia dicuntur, plenissimam eorum cognitionem suis Magistratibus demandauerint: Quæ autem merè spiritualia, & omninò Ecclesiastica sunt, ea reliquerint iudicibus Ecclesiasticis. Et ita,

Diuisum Imperium cum Ioue Cæsar habet.

nec vllus sanæ mentis ignorat, quantùm inuicem differant varia illa negotia.

Hinc euenit vt regij Magistratus leges temporales aut sæculares apprimè callere debeant, & Ecclesiastici Ecclesiasticas. Eadem etiàm studiorum varietas in aduocatis occurrit, vt apud eos Magistratus, & iudices officio suo rectè fungantur, *turpe enim esset causas orantem ius in quo versatur ignorare.* Et hoc etiàm elegantissimè docet ille idem Guillelmus Paris. in eodem tractatu, his verbis, *si necesse sit, in causis temporalibus oppressos, & reos habere aduocatos, qui periti sint iuris sæcularis, quantò fortiùs necesse est, in causis spiritualibus oppressos habere aduocatos, qui cælestis iuris periti sint.* Et hinc M. Tullius, Fabius, & alij docuerunt aduocato necessariam esse iuris ciuilis scientiam. *Quòmodò*, inquit, Fabius *lib. 12. cap. 3.*

patronum se causarum non falsò dixerit, qui quod est in causis potentissimum (ius ciuile, de quo ibi agitur) ab altero petiturus sit: qualis esse suasor in Consilijs publicis priuatisque poterit, tot rerum, quibus præcipuè ciuitas continetur, ignarus. Eius etiàm cognitionem Iudici & Magistratui necessariam docet M. Tullius *de oratore* ijs verbis *quid enim Turpius est, quam legitimorum & ciuilium controuersiarum cognitionem suscipere eum, qui sit legum & iuris ciuilis ignarus.* Et ita publici Magistratus, & aduocati sæculares leges in scrinio pectoris reconditas habere debent, vt secundùm eas aut iudicare, aut causas orare possint.

Vel etiàm, cum in quodam regno varia sint negotiorum genera, quæ ad aliquam æquitatis & iustitiæ normam reuocari conuenit, de ijs omnibus variæ leges promulgatæ sunt; Ac ne inutiles sint, aut temerè violentur, singuli Magistratus in mandatis habent, vt certas quasdam leges ad effectum perducant, singuli certis legibus addicti sunt, vt eas tueantur. Vnde leges ciuiles, mittuntur ad ciuiles Magistratus, qui nempe habeant earum exercitionem: fiscales, ad præfectos fisci: militares, ad duces aut militares iudices. Ideoque Guillelmus Paris. *in tractatu de Sacramento Pœnitentiæ* scribit eleganter, *sæculares iudices appellari, quibus leges temporales datæ sunt in manibus.* Vt autem pro tribunali ius dicere possint ex suis illis legibus, statuendi sunt aduocati, qui leges illas in foro vel auditorio suo receptas probè sciant. Et vt de eorum eruditione constaret Magistratibus, olim vir quidam consularis eos producebat & commendabat *Plinius lib. 2. ep. 14. & Symmachus lib. 9. ep. 29.* sed postea successit Leonina constitutio, de qua iam suprà diximus. Ea quidem est tantùm de aduocatis, quòd inualuisset tandem, nullos iuri dicundo præesse posse, nisi qui iam anteà statuti aduocati essent. Eaque ratione Procopius *in ανεκδοτοις* Iustinianum arguit, quòd Aphrum præfectum Prætorio fecerit, qui nunquàm fuerat in albo causidicorum. Hinc etiàm vulgatum illud Sydonij Apoll. *aduocati, quorum cum finiuntur actiones, incipiunt dignitates.* Sicque cum nullus Magistratu fungi posset (quod adhuc hodie obseruatur) nisi qui priùs fuisset aduocatus, principum constitutionibus introductum est, vt testimonialem missionem à iurisperitis haberet, qui vellet in matriculam aduocatorum referri. Vnde hodierni gradus, hodiernæ licentiæ, vt loquuntur: quæ nihil aliud obtendunt, quàm cum esse

aliquem candidatum, qui per statuta tempora eruditioni legum inhæserit, vt *in l. 5. §. nec de cætero. Cod. de aduoc. diu. iud.*

Ex ijs omnibus consectaria illa desumantur: Quodlibet auditorium certos Magistratus, & aduocatos habet: Illi omnes certis quibusdam causis, aut negotijs addicti sunt: Ius illud callere debent, quod ad earum rerum cognitionem, ac definitionem conditum est: Non aliter in aduocatorum matriculam referri possunt, quam si iurisperiti eorum Doctores testati fuerint, eos esse peritos illius iuris. Vnde cum ea sit hodiè causarum partitio, vt publici seu sæculares iudices de temporalibus aut sæcularibus negotijs cognoscant; nunquàm sanè canonici iuris Doctor testari poterit auditorem suum, iuris ciuilis, seu quod idem est, legum sæcularium esse peritum, cum ille ipse ius illud docere non possit. Magistris in arte credendum est. Casellio fides habetur, si dixerit te iura prædiorum callere: Vegetio, si de re militari respondeat, non etiàm si tironem suum peritiâ iuris ciuilis instructum asserat. Ne sutor vltra crepidam. Iuri publico conuenit, vt qui solum ius canonicum docent, auditores suos obeundis muneribus Ecclesiasticis offerant: Et illi soli studiosum aliquem ad forum, seu ad Magistratus & aduocationis petitionem dimittere possint, qui ius illud docent, ex cuius regulis forensium fata causarum dirimantur. Nam vt peritissimè loquitur Guillelmus Paris. in tractatu *de Sacramento Pœnitentiæ cap. 2. de lege cui credendum est? nisi eis, qui ex officio debent eam docere.* Eaque ratione olim Senatus amplissimus ad petitionem Aurelianensium, Andegau. & Pictauensium Antecessorum prohibuit *die 7. Iunij an. 1572.* ne Paris. Canonistæ gradus in iure ciuili concederent, quòd omninò absurdum esset, eos de eo iure solemnem præbere testationem, quibus illud docere non liceret.

Denique perniciosa est, aut vtique periculosa Canonicæ facultatis ambitio, dùm auditores suos ad Magistratus promoueri contendit: Et quidem ea potissimùm ratione, quòd eius dogmata politica procul absint à legibus regni. Cùm olim Christianis objicerent ethnici, præcepta Euangelij nulla ex parte conuenire moribus reipub. S. Augustinus *in ep. 5.* fusiùs probat eam fore beatam, in qua diligenter, ac piè ciues præcepta illa seruarent. Et hoc respiciebat præcipuè τὸ ἔθος *vitæ rationem aut institutum.* Sed si mores accipiantur pro legibus ad externam disciplinam pertinentibus, impunè


impunè omninò dixerim, regulas iuris Pontificij vt plurimùm repugnare moribus, seu legibus Regni Gallici. Ecclesia enim & respub. duo sunt, & quidem diuersa corpora, quæque diuersum finem habent: alia spiritualem & interiorem tranquillitatem curat, alia exteriorem, & pacem publicam: Ideoque ijs suæ quoque leges datæ sunt & seruiunt, vt ad propositum finem perueniant.

Sicut verò sæpiùs inter eos agitur finium regundorum, qui confines agros habent: ità & cùm Ecclesia & Respub. vnum hominem dirigendum habeant, sæpissimè non conuenit inter vtriusque Rectores aut Magistratus. Et hinc fortè prima mali labes, quòd cùm Ecclesiastici spiritualem potestatem habeant, eam quasi nobiliorem & maiorem, velint vbique præesse, & imperare temporali. Ex eo fonte ducunt absurdas & perniciosas illas regulas: *Sacerdotium vbique vel etiàm in temporalibus esse luminare majus, & Imperium vbique esse luminare minus: Imperium esse in Ecclesia: Censuræ Pontificiæ Regiam majestatem omninò subjacere: Leges & iura regnorum reuocari, ad regulas Romanæ Curiæ: Vbique leges Pontificias regijs esse præferendas: Iudices Ecclesiasticos de omnibus Christianorum conuentionibus cognoscere posse: Summum Pontificem esse supra Concilium: Illimitatam habere potestatem: A nemine judicari aut deponi posse: Vno Deo inferiorem esse*, vt hoc ipso anno typis mandarunt Parisienses Canonistæ, in tractatu suorum priuilegiorum pag. 15. Sed quod ibi alia quædam amica manus induxit aut deleuit, *reges priuare posse suis regnis, eaque alijs addicere*. Receptissima sunt ea Decretalium & Canonistarum dogmata, quæ licet sale quodam ab ijs aspersa tradantur in Scholis, attamen infirmos adolescentum animos ferè semper inficiunt ac corrumpunt, perindè ac mala venena, quamvis artificio medicorum expurgata sint, sæpiùs tamen languentem stomachum faciunt, aut vtique pariunt ei fastidium.

An igitur Magistratus aut aduocati ex eorum Schola petendi sunt, qui regulas illas quotidiè docent: qui sæpissimè ius ciuile tollunt societatis humanæ vinculum, vt de Pontificibus supra ex M. Tullio. Vegetius & alij authores τακτικῶν diligenter expendere solent, cuius artis eligendi sint tirones, qui patriam aliquandò tueantur & defendant: Ita & in togata militia plurimùm refert, quinam tirones admittantur ad sacros apices: Ac si verum amamus, cum futuri sint viri ciuiles, omninò probandi sunt ex ea disciplina, quæ

ſit ſimul & rerum diuinarum, & rerum humanarum notitia, vt ex eius regulis eas omnes ordinent ac diſponant. Vnde ſicut Wlcanus inſignem clypeum non alteri dare voluit quàm Achilli, eo quòd iuſtiſſimus Chiron eum educauerat, & ideò poeta Chironem illum vocat δικαιότατον κενταυρῶν *iuſtiſſimum centaurorum*, quod is eſſet diuini humaniqne iuris ſcientiſſimus: Ita & crediderim facilè ordinis ampliſſimi eam eſſe mentem, vt ſacra illa iuſtitiæ adminiſtratio (quæ ſola ſocietatis humanæ ſcutum & propugnaculum) ijs tantùm committatur, qui apud iuſtiſſimum Chironem educati fuerint, hoc eſt apud eos Anteceſſores, qui iuris vtriuſque peritiſſimi ſint, eique docendo præeſſe debeant in noſtris Academijs.

Nec quis dixerit nos etiàm in Scholis noſtris ius illud Pontificium docere, & ijſdem codicillis teſtari, ſtudioſos noſtros huic etiam iuri dediſſe operam: Primò enim hoc ſpeciali beneficio nobis conceſſum eſt à Chriſtianiſſimis Regibus: Secundò ius ciuile noſtrum eſt principale ſtudium, & ita ſtudioſorum animos, tum primùm & præcipuè, ciuilibus præceptis informamus, vt ijs præmuniti cognoſcant, non debere leges Decretalibus per omnia ſeruire, vt Canoniſtæ volunt. Ac tandem cum Fabio *lib. 12. cap. 3.* aſſerimus Oratori non modo neceſſariam eſſe iuris ciuilis ſcientiam, ſed & morum, & religionum eius reipub. quam capeſcet.



CAPVT IX.

Diſſoluuntur quædam argumenta, ex quibus Pariſienſes Canoniſtæ volunt, gradus in ſolo iure canonico ſufficere, ad obtinendos honores fori.

TVm primum vtuntur conſtitutione Franciſci primi *an. 1535.* qua prohibetur, ne aduocati recipiantur, niſi Graduati ſint *in altero iurium.* Fortè quidem dici poſſet, hoc nihil aliud eſſe, quàm *in vtroque iure.* Nam alterum de duobus dici, & duo ſignificare, obſeruat elegantiſſime Scaliger in notis *ad lib. primum Manilij*, & poſt eum Ianus Acoſta *ad tit. inſt. de vulg. ſubſtit.* nec in eam rem plures locos communes con-

gerere mens est, ex Grammaticorum penu: Nam si verum amamus verba illa, *altero iurium*, nihil aliud sibi volunt, quàm *vel in iure ciuili, vel in iure canonico.* Sic in Concilio Basil. *sess. 31. decreto 2.* cum exponuntur qualificationes Graduatorum, *instituantur personæ sic, vt supra qualificatæ, aut ad minus qui per tres annos in Theologia, vel in altero iurium studentes fuerint*, quod etiàm exscribitur *in Prag. Sanct.* & negari non potest illud, & ad ius canonicum, & ad ius ciuile pertinere: Sicque in verbo ludendum non est, vbi aliundè peti potest interpretatio edicti.

Rectissimè autem obseruat Pinssonius, eam Francisci primi constitutionem editam fuisse pro Senatu prouinciæ, vt etiàm habet eius Epigraphe. Cum enim ea esset olim patria obedientiæ, & Auenioni proxima, vbi non ita pridem fuerat sedes summorum Pontificum, Papales ministri, solis canonici iuris gradibus, vim & authoritatem tribuere tentabant, vt ita in dies augeretur majestas Pontificia, quod vnum eos plus nimio curare conqueritur passim Mathæus Paris. Sed Franciscus primus sagaciter addidit, Graduatos *in altero iurium* aduocatione fungi posse: Nam statim solius iuris canonici gradus à foro amandauit, cùm viri ciuiles ciuili sapientiæ mancipati sint potissimùm. Et addi potest in ea re prudentissimum fuisse Francisci primi consilium: Eo tempore aduersus Carolum quintum Imp. diuturno bello detinebatur, cumque faueret ei Paulus tertius S. P. noluit conceptissimis verbis à foro expungere iuris canonici gradus, quod fortè non fecisset, citra offensam summi Pontificis. Sed cum probè cognosceret sagacissimus ille princeps, apud forensium causarum actores, iuris ciuilis notitiam omninò præstare iuri canonico, existimauit eos omnes ad receptam totius regni consuetudinem statim accessuros, si quidem ijs proponeret edictum *de altero* vel si mauis, *de alterutro iurium*, & hoc ita euenisse constat in tota prouincia, eamque constitutionem prorsus abijsse in desuetudinem.

Secundò asserunt, se diuturno vsu, & longâ quasi possessione ius illud aquisiuisse, vt in solo iure canonico licentiati, ad honores fori peruenire possint. Illud adhuc ex quibusdam schedulis probare contendunt, quæ vel habent multos & Præsides, & Senatores, & alios proceres, iuris canonici professores fuisse Parisijs, à Senatu adscendisse in suggestum: vel eos fuisse tantùm licentiatos in iure

canonico. Et ita cum Mamertino dicant *iuris ſcientiam, quæ Manlios, Scæuolas, & Seruios in ampliſſimum dignitatis gradum euexerat, hodiè libertorum videri artificium*, & quidem ijs, qui cum eam nè primoribus quidem labris attigerint, nec eius, nec profeſſorum dignitatem norunt: Sicut enim qui Deos bona fide colunt, amant & eorum Sacerdotes, *ait Statius*: Ita & qui ciuilis ſapientiæ periti ſunt, pluris ſemper faciunt eius profeſſores.

Et partem genij, quem venerantur, habent.

Primò igitur multi Senatores fuerunt Doctores iuris canonici, ergo ſoli gradus in iure canonico viam parant ad Senatum: Belliſſimè. Sed contendo eos fuiſſe licentiatos in iure ciuili, antequàm in Senatum cooptarentur: Sicut Romæ quidam ex Sabinis lecti ſunt Senatores, ſed qui anteà ius ciuitatis adepti fuerant *apud Liuium.* Et vnum pro omnibus expendam, quod vtique palàm faciat, quàm ſubleſtæ fidei ſint noſtri Canoniſtæ. Volunt D. Coſmam Guymierum *licentiatum in Decreto facultatis Pariſienſis*, in Senatu aduocatum, & poſteà præſidem fuiſſe: Et tamen ille ipſe ſic habet, in fine commentariorum ad Pragmat. Sanctionem, in veteri Codice, *finiunt Decreta Baſilienſia & Bituricenſia, quam Pragmaticam vocant, Gloſata per Magiſtrum Coſmam Guymier, in vtroque iure licentiatum, & Lugduni impreſſa, anno Domini 1488.* ab vno diſce omnes. Idem ſcribunt de Igneo, ſed de eo egimus *c. 7.* Eiuſdem farinæ eſt, cum volunt Milonem *Dilliers* Decreti Doctorem fuiſſe Pariſijs, & Parlamenti Senatorem, vt etiàm habent Sammarthani fratres *in Carnot. Epiſcopis num. 97.* nam in ſuis ipſis Scholis Decreti ſcriptum habent. *Reuerend Pere en Dieu Meſſire Mile d'Illiers Docteur en Decret à Paris, & és Loix à Orleans*, vt ſcribit Brulius *in Theatro Pariſ. Antiq. lib. 2. pag. 750.*

Prætereà in ijſdem ſchedis multi occurrunt aduocati, Præſides, & Senatores, quos vtique ſcribunt in ſolo iure cauonico licentiatos, ſi quædam ijs tuta fides poſt fabulam de D. Guymiero. Sed *per me ſint omnia protinus alba*: totam hanc farraginem, omnes illas priuatas annotationes elidere iuuat, quatuor illis inſpectis. Primum eſt, olim omnes ferè Pariſienſes aduocatos fuiſſe Clericos, habuiſſe dignitates Eccleſiaſticas, vt nominatim ait *author dialogi inter aduocatos Pariſ. pag. 478.* & paſſim illud probat allatis exemplis, & ideò fortè graduati tantùm erant in iure canonico: Qui

verò non erant Clerici, ſemper in iure ciuili gradus obtinebant, ſeque ipſos vocabant *iuriſperitos*, quod ſolummodò accipitur de iure ciuili, *Magiſter Radulfus de Praellis, iuriſperitus, aduocatus in Curia Regis, teſtis iuratus contra Templarios*, apud clariſſimum Puteanum.

Secundum eſt, circà annum *1550.* peruerſam hanc irrepſiſſe conſuetudinem, vt quotidiè in ampliſſimo Senatu aduocati reciperentur, qui nullos omninò gradus acceperant, cumque omnes omnium Academiarum iuris profeſſores de ea re conquererentur, orante D. Riant Regis Aduocato Senatus cenſuit, more majorum nullos ampliùs admittendos eſſe aduocatos, niſi qui antea Graduati eſſent. Sctum illud extat apud Paponium *lib. 6. tit. 4. cap. 1.* & hinc facilè eueniebat, vt Pariſienſes iuris ſtudioſi (qui ferè ſoli exſcribuntur in aduerſariorum ſchedulis) ſaltem obtinerent gradus in iure Pontificio, quos ad manum habebant, tum verò præcipuè, quod Senatus non ſatis edixerat, quinam obtinendi eſſent gradus.


Tertium eſt, ſub Carolo nono, Henrico tertio, & Henrico Magno tot exarſiſſe bella ciuilia, vt leges omninò ferè ſilerent, nec Academijs debitus haberetur honor, & multa quotidiè fierent ἀτακτῶς inordinatè. Nunquàm verò nocet, nec vllum ius nouum parit, quod belli tempore geſtum, aut vſurpatum fuerit. *can. in prima. can. porr. 16. q. 3. cap. 10. ex. de præſcrip.*

Vltimum eſt, in Præſidum, Senatorum, & aliorum ſummæ dignationis hominum liberis, fortè quidem aliquandò admiſſam fuiſſe veterem hanc conſuetudinem, cuius meminit Plinius *lib. 2. ep. 4. vt nobiliſſimis adoleſcentibus in foro daretur locus, aliquo conſulari producente.* Conniuentibus oculis pati poterant veteres, iudicium patris, & quidem Præſidis, aut Senatoris pro legitima ſtudij & eruditionis teſtatione aliquandò haberi, ſaltem belli aut tumultus ciuilis temporibus. Erant dij maiorum gentium. Sed hæc omnia, quæ contra tenorem rationis, & legum ordinem inualuerant, producenda non ſunt ad conſequentias, nec ab ijs valet argumentum, vt leges regni, & aliæ omnes Academiæ funditùs euertantur in vnius gratiam.

Nec etiàm prætermittendum, nihil quidquàm pro aduerſarijs facere, quòd adhuc in ſuis ſchedis laudent quoſdam *in iure canonico vel ciuili licentiatos, ſuæ Vniuerſitatis iuratos*: Nam euenit quotidiè, quoſdam in alia Vniuerſitate gradum licentiatus in vtroque

iure accipere, & adhuc in alia iuratos esse Scholares, vt nempè illius priuilegijs gaudeant, quandiu in ea studuerint. Ego ipse gradum licentiatus, & Doctoratus in nostra Andeg. Academia accepi, & postmodum relatus sum inter iuratos Bituric. Academiæ, cum præstantissimi Merillij prælectiones in eâ exciperem, sic etiàm, non ita pridem habuimus Aurelianensis Academiæ licentiatum, qui in nostra iuratus, & immatriculatus fuit, *vt loquimur*, eoque nomine Academica munera repetitis vicibus obijt. Hoc etiàm Parisijs olim obseruatum probari potest, ex ijsdem aduersariorum schedis, vbi quidam exscribuntur primò, *licentiati in iure ciuili vel canonico*, & postmodùm dicuntur *Iurati Paris. Vniuersit.* nempè *secundùm quod possibile est*, vt loquuntur authores nostri, id est secundùm leges istius Academiæ, putà vt sint tantùm iurati in facultate iuris Pontificij.

Sed & addi potest adhuc, sub Ludouico duodecimo, & Frâncisco primo, omnes ferè Paris. proceres ideò potissimùm Paris. Academiæ nomen dedisse, aut præstito solemni iuramento relatos fuisse, inter eius alumnos, & officiales, vt ità vectigalium immunitatem haberent, quam ijs concessam fuisse indicat disertis verbis, oratio *Oliuerij de Lyon* regalis Collegij Nauarræ Magistri, ad Antonium à Prato Cancellarium Franciæ, *pro absolutione consiliariorum, & officiariorum Vniuersitatis Paris. necnon pro exemptione decimæ verorum Scholasticorum.* Habita *an. 1518. die 23. Ianuarij.* Sed nec vsurpatio illa nouum ius aliquod parere potest.



CAPVT X.

Excidium imminet omnibus Galliarum Antecessoribus, si Paris. iuris Pontificij professores, vel jus ciuile in Scholis publicis doceant, vel gradus in solo jure Pontif. ab ijs concessi foro sufficiant.



ELeganter vtique Lucianus in iudicio vocalium sic loquitur καλὸν γὰρ ἕκαστον μὲν ἣν ἐφ, ἧς τετύχηκε τάξεως: τὸ δε ὑπερβαινειν ἐς ἃ μὴ χρὴ, λύοντος ἐστὶ τὸ δικαιον, *præclarum enim est, vnumquemque in eo manere ordine, quem sortitus est: at ea quæ non licet transcendere, eius est qui*

ius & æquum violat. Primum intendunt prouincialium Academiarum Antecessores: cùm enixè postulant, vt omnes Academiæ non egrediantur terminos, quos ijs posuerunt patres nostri, & vt singulæ Spartam suam ornent. Vltimum ad Parisienses iuris canonici professores pertinet valdè: dum vel ius ciuile docere volunt in suis Scholis, vel auditores suos ad forum dimittere. Docuimus vtrumque illud esse omninò contra leges regni, & eorum institutionem: Hic probandum est alterutro admisso, quam primùm perituras esse, alias omnes regni Academias.

Statim veterem hanc querelam canere iuuat: Satìs, satis ornata est Lutetia: Huic vni benè est à cælo, & Imperio: Huic vni sol natus videtur: Hæc vna infixas habet stellas innumerabiles: Nostra autem municipia, nostræ ciuitates suo cælo, suove sydere obscurantur. Sicut olim Beryto concessum illud fuit ὥσπερ γέρας μεγιστὸν *quasi maximum præmium*, inquit Agathias, vt haberet Academiam, in qua ius ciuile doceretur: Ità & Christianissimi Reges in nostris illis ciuitatibus, velut in præmium fidei & obsequij, eas instituerunt Academias, quibus ea duo iure singulari competant, & vt in ijs ius ciuile doceatur, & vt soli earum auditores, studia sua ad forum propellere possint. Vnde sicut Berytus habebat τὰ ἀκροατήρια τῶν νόμων, δι' ἥν πάντα δικαστήρια τῶν ῥωμαίων: ἐνθεῦτεν γὰρ ἄνδρες πεπαιδευμένοι εἰς πᾶσαν οἰκουμένην παρακαθίζουσι τοῖς κριταῖς, καὶ εἰδώτες τοὺς νόμους διαφυλάττουσι τὰς ἐπαρχίας *ea iuris auditoria, per quæ omnia Romanorum tribunalia stant: ibi quippè viri edocti, per omnem terrarum orbem, iudicum assessores fiunt, & legum periti prouincias tuentur.* Vt habet expositio illa totius mundi, quam laudauimus *cap. 4.* Ità etiàm in Gallia, prouinciales Academiæ Aduocatos, Magistratus, & iudices omnibus omninò tribunalibus semper dederunt.

Sed si alterutrum Parisiensi Academiæ concedatur, vt vel Antecessores habeat, qui nempè ius ciuile doceant, vel vt solius canonici iuris auditores probentur, & admittantur ad petendos honores fori: Actum est de alijs Academijs. Ara illa omnes alias ornatu suo denudabit, ijsque tandem eripiet, sua veluti lumina, suos veluti oculos dum primæ notæ Antecessores ad eam solam confugient, perindè ac olim Cpoli omnes ferè minorum Ecclesiarum, vel etiàm prouincialium, clerici ad maiorem transire volebant, vt palàm est

ex Nou. 3. cap. 2. & quidem ea ratione, quam iudicant ſcriptores æquales: Quòd plurimùm auctæ eſſent illius Eccleſiæ facultates, cum ei annexa, & vnita eſſet Eccleſia Irenæ, ſicut & alia quædam à Verina vxore magni Leonis ædificata.

Palmaribus illis Anteceſſoribus duplex fugiendi ratio: tùm quia cuilibet profeſſori non omninò contemnendum eſt eruditionis ſuæ præmium & indicium, plures habere diſcipulos, *Themiſtius in orat. 1.* Statim autem Pariſienſis Academia occupabit nobiliſſimam Galliarum ſobolem, liberalibus ſtudijs Lutetiæ operatam: ſtatim omnes quotquot vnquàm erunt in Gallia, iuris ſtudioſi Lutetiam petent, quaſi communem patriam, vt ibi omnia ſua ſtudia vno veluti ductu peragant: Et ita quilibet inſignis Anteceſſor, ſtatim aſpirabit ad illud Palladium, quaſi ſe putet omninò dignum maiori theatro: Tùm etiàm quia in prouincialibus Academijs nullum ampliùs erit ciuilis ſapientiæ præmium: Et tamen illæ ſolæ ampliſſimum ordinem fecerunt in dies, meliorem generis humani partem: Illæ ſolæ dederunt Magiſtros, Thuanos, Briſſonios, Molinæos, Pithæos, aliave fori lumina: Et tamen ab ijs ſolis prodierunt olim Alciati, Duareni, Cuiacij, Contij, Balduini, Hotomanni, Marani, Iani à Coſta, Merillij, & alia huiuſmodi magna capita, ac fortè adhuc hodiè in ijs.

Sint Mæcenates, non deerunt Flacce Marones,

Tanta vis eſt admonitionis in ijs locis, in quibus heroes illi docuerunt.


Nec parùm etiàm faciet ad noſtrarum Academiarum excidium, quòd vbi vtrumque illud priuilegium, Pariſienſi Academiæ conceſſum fuerit, quidquid Rex Chriſtianiſſimus in eam rem conſtituat, quæcumque tandem leges ferantur: ſenſim ea, vel etiàm eos iuris ſtudioſos Senatui offeret quaſi ſuos, qui tamen ſub noſtris tantùm vexillis meruerint: Perindè ac olim Cpani Patriarchæ, & Carthaginenſes Epiſcopi contra ſacros Canones ius illud habere contendebant, vt quoſlibet Clericos, ex alienis etiam prouincijs, ſuſcipere & ordinare poſſent, vel etiàm inſcijs & ignorantibus eorum Epiſcopis, vt docet *Theodorus Balſamon ad nomocanonem Photij tit. 1. cap. 26.* Et ita ſtudiorum noſtrorum rara erit merces, ac licet ea ſit πηλὸς τῆς τέχνης, ſemper tamen verum eſt, *ſublatis ſtudiorum pretijs, etiàm ſtudia peritura, vt minùs decora.*

Verùm vt alias omnes Academias euertant, Pariſienſium pro-

cerum

cerum paterna pietate abuntur aduersarij, quasi tutius illis fuerit, aut vtique amabilius liberos suos, *orbis nostri futuros quondam arbitros*, sub oculis suis erudiri ad sacros apices, quàm ad nostras Academias amandari. Sed cogitent Romanos rerum dominos: Romæ habebant eminentissimos præceptores, & tamen liberos suos, *præparatas illas spes ad orbis Imperium*, mittebant Berytum, Massiliam, Rhodum, Athenas, vt ibi sapientiæ præceptis animos componerent: Vt ibi addiscerent prouinciarum mores, de quibus iudicaturi erant: Vt ibi subditarum gentium calamitates viderent, & acerbiora fata, quibus quondàm mederentur, & opem ferrent. *Vbi sunt qui litteras Latinas Romæ, non etiàm alibi asserunt esse discendas*, inquiebat olim Athalaricus, apud Cassiodorum *lib. 8. var. cap. 12.*

Denique non illi sunt hodiè Parisienses canonici iuris professores, vt miseriâ nostrâ magni fiant: Quosdam habuerunt olim decessores maioris fortè laterculi, & tamen contenti fuerunt suo Catone: Nec quid hodiè in ijs eminet, quod leges regni, cum alijs Academijs euertere cogat. Quandiù Roma fuit Imperij caput, illi soli legum Doctores immunitatibus, & priuilegijs gaudebant, qui Romæ docerent *l. 6. §. legum 12. d. de excus. tut. & curat.* Sed cum illud translatum est Bysantium, vtraque Roma & Berytus ijs assignatæ sunt, & quidem sub ea pæna, vt qui in alijs vrbibus leges docuerit, mulctetur duabus libris auri, & ciuitate illa relegetur, in qua docuerit. *Vt est in proemio Dig § hæc tria.* Vbi additur *eum ità non tam leges docere, quam in leges committere.* Hoc dicendum etiàm de Parisiensibus Canonistis, qui cum ius ciuile Parisijs docere volunt, *in leges regni committunt*, ac proindè iniquum esset, eorum augeri priuilegia, in necem aliarum Academiarum.



CAPVT XI.

Omninò reijciendum honorarij additamentum, quod iuris ſtudioſis indicitur pro gradibus obtinendis.



Ouum planè commentum, & ante hunc diem inauditum, pro Scholis iuris vtriuſque inſtaurandis, non ita pridem prodijt: *Ducentas nempè libellas, ab ijs omnibus iuris ſtudioſis, exigendas eſſe, qui vt hodie loquimur, ad gradum licentiatus promoueri voluerint, & ducentas viginti, abijs, qui ad Doctoratum:* Quodque omninò ſtupendum, pernicioſi eius εὑρήματος author eſt Aurelian. Anteceſſorum Primicerius, vir alioquin ſummæ dignationis, quique Comitiuam ex lege meruit, ideò tantùm increpandus, quòd ferè capularis, Sophiſtarum inſtar, tum primùm velit eſſe καινότομος *nouitatis ſtudioſus.*

Sanè non defuerunt principes, qui quondàm in litteras malè animati, aut duriùs egerunt in earum profeſſores, aut etiàm eos eiecerunt. Quàm ſæpiùs Româ eiecti ſunt Philoſophi, & Mathematici. Caligula noſtros etiam Ictos amandare voluit, *Suetonius in eius vita cap. 34.* ſub Iuliano redacti ſunt in ordinem, & ad ima ſubſellia, *Ammianus Marcell. lib. 23.* qui etiàm Chriſtianis profeſſoribus docendi facultatem ademit, *idem lib. 25.* Theodoſius artium liberalium profeſſoribus honoraria detraxit, *Symmachus lib. 5. ep. 33. & 37.* quod etiàm de Iuſtiniano ſcribit *Procopius in* ἀνεκδότοις. Ac tandem quidam alij totius humanitatis expertes, cum litteras extirpare vellent, varijs modis vexarunt earum Magiſtros, ijs abſtulerunt ἐφόδια *viatica eruditionis*, eorum annonas, & ſportulas flagellarunt.

Sed nullius adhunc diē publicani, nedùm profeſſoris, ope conſilio factum eſt, vt ingenui adoleſcentes artium liberalium, & præcipuè iuris ſtudioſi agitentur, multò minùs à diſcendi ſtudio deterreantur, indictis vectigalibus aut tributis. Iure gentium ab iis omninò ſunt immunes. Ætas & profeſſio: artium dignitas & præſtantia: publi-

cæ vtilitatis ratio pro iis immunitatem illam postulant. Ætas, M. Tullius *in Pisonem* vix eos habet hominum numero. Fabius eos vocat viros futuros: eorum onera publica parentibus remitti ait *author panegyrici ad Constantium.* Ætas & professio, Imperatores *in l. 1. & 2. Cod. qui æt. se excus. lib. 10.* volunt, vt qui liberalibus studiis dant operam, maximè circa iuris ciuilis professionem in ciuitate Berytensi, (vbi probata & insignis Academia) à ciuilibus & publicis oneribus vacationem habeant.

Artium liberalium dignitas: iidem Imperatores *in d. l. 1.* vacationem illam maximè concedunt iuris professioni, vt potè cui aliæ omnes disciplinæ ancillentur. Sed τὶς τῶν ἐπισκόπων τοὺς λόγους ἐφορολόγησε? *quis Episcopus eloquentiam tributo subiecit?* ait S. Basilius *in epist. 14. ad Libanium, inter epistolas Græcan. à Cuiacio editas.* Fortè quidem manuariis artibus quædam olim imposita sunt vectigalia, *Lampridius in Alexandro Seuero*: sed Iurisprudentia, aut alia quælibet ars liberalis, ne quidem ab ipsis Barbaris tributaria facta est vnquàm. Imò & quamvis ea, quæ vectigal non debent, publicano profiteri cogamur, *Quintilianus in declamat. 341. & 359.* attamen artes liberales professionem illam non debent. Eius rei luculentissimum exemplum extat *apud Philostratum in vita Apollonij lib. 1. cap. 14.*

Cum Apollonius transfretare vellet in Mesopotamiam, & Portitor ab eo peteret, quid secum exportaret mercium: respondit se tantùm comites habere artes liberales, quæ iustitiam & alias virtutes docent: Portitor eas omnes quasi ancillas describere voluit in libris censualibus, sed sapientissimus ille Philosophus dixit, eas nequidem huic descriptioni vel professioni subiacere, & Portitor permisit eum abire improfessum. Adeò sanctæ & liberæ sunt illæ artes, vt nequidem barbaris vectigales esse possint. Vel etiàm, cum non sint in bonis, *Lucius Seneca in ep. 88.* (provt ea sumuntur apud Ictos,) nec etiàm in commercio esse possunt, ac proindè nec tributariæ.

Denique publicæ vtilitatis ratio iuris studiosos immunes facit à vectigalibus, *prouidendo vtilitati publicæ*, inquiunt Imp. *in d. l. 1. Cod. qui æt. se excus.* Nam Reipub. interest, ne illi vel etiàm in vtero matris suæ opprimantur, aut auocentur à studiis, qui à nobis erudiuntur ad spem omnium tribunalium, vt de iis *Eumenius*.

Fortè verò abutor atrocitate verbi. Non illud eſt tributum, non vectigal, non ſtipendium: ſed eſt ſalarium, merces, honorarium, quod etiàm à ſuis diſcipulis exigere poſſunt iuris profeſſores *l. 4. d. de extraord. cog.* Et tamen quidquid ſit, quocunque tandem prætexas nomine culpam, ſemper illud eſt σημεῖον φιλοκερδοῦς καὶ ἐρασιχρημάτου ψυχῆς *ſordidæ & auaræ mentis indicium.* Sicut autem Diogenes Laertius, Eunapius, Themiſtius ex Platone multum diſcriminis faciunt, inter Sophiſtam, & eum qui benè philoſophatur: Vt nempè Sophiſta diuitum adoleſcentulorum captator ſit & emunctor, vt vænalem proſcribat Philoſophiam, & argenti plurimùm à diſcipulis exigat: Alter verò non aliam mercedem quærat, quàm diſcipulorum modeſtiam, verecundiam, temperantiam, & vt eorum mentem veræ nec ſimulatæ Philoſophiæ præceptis informet, *Themiſtius in orat. 4.* Sic etiàm authores noſtri differentiam faciunt inter iuris ſtudioſum, & inter iuris profeſſorem: Vt ille ſit qui nondùm à principe adeptus fuerit, iuris interpretandi poteſtatem, cumque adhuc in priuatis ſtationibus doceat, *Gellius lib. 13. cap. 13.* & ita mercenariam præſtet operam, mercedem exigere poteſt *d. l. 4. d. de extr. cog.* quales ſunt hodiè circumforanei quidam Doctores, *qui ſuam hanc artem quæſtuariam vænaliter, & impudenter exponunt*, vt de ijs *Petrus Bleſenſis in ep. 140.* Sed ille dicatur iuris profeſſor, qui & Iuriſconſultus, quique à principe acceperit poteſtatem publicè de iure reſpondendi, vt in *l. 2. §. poſt. hos. d. de orig. iur.* Quales ſunt hodiè Anteceſſores, qui ſtudiorum fiducia freti, & ordinis ſui iudicio probati, ex authoritate principis ius docent in eius Academijs. Ille, inquam, iuris profeſſor mercedem à diſcipulis petere non poteſt, quia *ciuilis ſapientia ſanctiſſima res eſt, nec nummario pretio æſtimanda*, vt eſt in *l. 1. §. 5. d. de ext. cog.*


Primâ quidem frontè author iſtius commenti Anteceſſorem planè agit, deteſtatur αἰσχροκερδίαν, contra mercenarios illos multa congerit, qui docto labori præferunt turpe lucrum, eoſque procul eijciendos clamat, quaſi peſtes Reipub. litterariæ. Sed ſtatim ſuæ illius commentitiæ mercedis dulcedine illectus tranſfugit ad eorum caſtra, eam ſuggerit ſacro principis conſiſtorio, ad eam emendicat ψήφισμα ordinis ampliſſimi, & frigidè omninò ſuadere tentat, ijs ipſis iuris ſtudioſis eam fore vtilem, & acceptiſ-

ſimam: Cum tamen *quælibet ſuperindictio*, vel vt loquitur Athalaricus, *quidquid, ſuprà conſuetudinariam functionem, augmenti petitur, vix poßit haberi tanquam Canonicum, & ferè ſemper ſubitis calumnijs imputari ſoleat* vt loquuntur Imperatores in *l. 1. Cod. de indict. l. vn. Cod. de ſuperind. lib. 10.*

Quantùm verò detrimenti. Ex ſuperindicta illa mercede, pati poſſint Academiæ, bona fide iuuat expendere. Sub pondere gemunt prouinciæ: in iis vix parentes habent, vnde liberos ſuos in noſtras Academias mittere poſſint, ad capiendum ingenij cultum: In iis nulla ſtudiorum præmia: Olim melioribus annis, Anteceſſores in ſuis maioribus Scholis, inſtar Iuliani Sophiſtæ, regnum aliquod habere videbantur, propter multitudinem auditorum, hodiè vacuas, ſterileſve cathedras habent, & deficientibus diſcipulis pudet eos maioris auditorij: Nam *excitat auditor ſtudium*, & hodiè Anteceſſor, quicunque tandem ille ſit, vt plurimùm in Scholis noſtris dici poteſt *vox clamantis in deſerto*: ac ſi fortè quidam eius prælectiones excipiant, omnes ferè gratis, eoque inſalutato abeunt in dies: Nec quid aliud obtendere poſſunt, quàm temporis difficultatem, rei familiaris anguſtias, ex ſuis ſtudijs nullam ſpem honoris & præmij: Nec eos obtorto collo in vincula conijciam, vt mercedem ſoluant, quorumdam Stoicorum inſtar, de quibus *apud Lucianum in ſympoſio.* Ea eſt rerum facies. Ac ſi fortè iuris ſtudioſis graue aliquid indicatur, nulli erunt ampliùs, aut vtique pauciores. Et hinc vltima noſtrarum Academiarum pernicies.

Sicut enim naſcentis fidei noſtræ temporibus conquerebantur Ethnici, iam propè deſolata eſſe templa, ſacra intermiſſa, rariſſimos victimarum emptores inueniri, ait *Plinius ad Traianum*: In templis ſummam eſſe raritatem, raros eſſe conſultores, *Arnobius lib. 1. aduerſus gentes*: & fortè propter vectigalia, quæ nempè vel emptoribus victimarum impoſita erant, vel etiàm ijs omnibus, qui ad ea templa vellent accedere, *Tertullianus in Apologet. cap. 42.* Ita & in noſtris Academijs rariſſimi erunt earum alumni, in ijs ſumma erit auditorum raritas, ſi quædam ijs imponatur ſuperindictio, quam multò plures præſtare non poſſint, alij verò nolint. Sicque tandem noſtræ ſqualebunt Academiæ, provt etiàm ſordeſcit ager deſertus à plebe, & cultura hominum. Vnde qui eius excogitatæ mercedis ope Academias inſtaurare contendis, ἄνθρακας μοὶ τὸν

θησαυρὸν ἀποφήνας *ostendis mihi Carbones pro thesauro*, qui tandem acerba excitabunt incendia, & Musarum ædes adurent. Longè satius, longè conuenientius esset Antecessori, antiqua priuilegia & vectigalium immunitates, more maiorum à Christianissimo Rege deprecari, pro omnibus iuris studiosis, perinde ac olim *Oliuarius de Lyon*, de quo suprà.



CAPVT XII.

Ratio quædam proponitur, qua iuris vtriusque studium in omnibus Academijs, & tribunalibus, pristinum splendorem recipere possit.

CLamant omnes ruinam minari Academias, *& pauci, quos æquus amauit Iuppiter*, ijs inclinantibus bona fide opem ferunt. Ego verò assererem fidentiùs, ciuilis sapientiæ studium non aliter instaurari posse in Gallia, & in pristinum splendorem restitui, quàm *si Antecessores ne obolum quidem ab ijs accipiant, qui ad gradum aliquem promoueri voluerint: Nec alios ad gradum illum admittere possint, quàm qui post statuta legum tempora, in Scholis publicis seuera lege profecerint: Rex Christianissimus certa & opima stipendia suis Antecessoribus decernat*: Et hoc præstare potest gratìs, *si modò Ecclesiastica beneficia, & quidem simplicia cuilibet iuris vtriusque facultati concedat, & vniat, cuius annui reditus inter eos ex æquis partibus diuidantur.* Ea omnia sigillatim expendenda.

Et primò quidem in quolibet professore nihil omninò præstantius, nihil magnificentius, quàm discipulis gratuitam præstare operam: Tunc Soli similis est, qui egenis pariter, ac diuitibus prælucet, nec quid sibi colligit: Sed & quod extremum est in humana sapientia, Deum ipsum imitatur, *qui super eos omnes pluere & solem suum oriri facit*, cùm tamen indè nihil quidquàm ad eum. Et hoc potissimum in iuris professore obtinet, cum nullus

negare possit, *summam ciuilem sapientiam nummario pretio dehonestari*, & eius intuitu.

Interdum miseros homines transcendere fines
Iuris

Sed solemni edicto cauendum est, nè quid omninò Antecessores pro gradibus accipiant, sub comminatione seueritatis non defuturæ in eos, qui malo more aliquid egerint: Eiusque rei curam quibusdam Magistratibus præcisè demandari conuenit, vt ità cum Antecessoribus nulla spes affulserit pecuniæ, solius eruditionis & meriti rationem habeant, in concessione graduum, & ibi fides integra maneat, vbi magnitudo quæstuum non spectabitur.

Secundò æquum est, vt iuris studiosi per statuta tempora legum eruditioni adhæreant in Scholis publicis. Hoc Iustinianus Imp. hoc Christianissimi Reges sæpiùs ac sæpiùs constituerunt: Vt Academiæ nostræ liberorum suorum totæ sint, & integræ matres: Vt eos in vtero suo per legitimum tempus alant, ac tandem iusto perfectove partu eos edant Reipub. Sicut verò quidam volunt editum fuisse Neptunum duodecimo mense, & hoc eius maiestati consentaneum, vt fœtus ex eo longiori tempore grandesceret: Ita & edicto quidèm singulari cautum est, vt iuris studiosi per annum integrum eos Antecessores audiant, à quibus gradum aliquem accipere voluerint, quasi etiàm tempus illud eorum munerum dignitati conueniat, quibus destinantur. At certè post illud tempus, *sunt adhuc lactis participes*, & vt plurimùm *expertes sermonis iustitiæ*: Et ita velim saltèm, non priùs eos magistratibus obeundis tempestiuos haberi, quàm si eos per biennium integrum ciuili sapientiæ strenuam dedisse operam certissimè constet, nec perfunctoriè probentur aut examinentur. Per tempus illud colunt inane sophos, cur non & Iurisprudentiam? ex qua familiæ, & Reipub. salus, & ornamentum. Sic iuris studiosi non amplius cruda adhuc studia in forum propellent: Sic non alij erunt aduocationis candidati, quàm qui sint iuris vtcumque periti, & ità faciliùs adolescere possint ad antiquam virtutem: Illi soli ad magistratuum petitionem accedent, qui sint προπαιδευτέντες τȣ̃ δικαίȣ *in iure instructi*, vt volunt Stoici apud Stobæum. Et hoc vel etiàm apud exteras gentes, præcipuum erit

iustissimi Regis iudicium, in suis tribunalibus plures habere iurisperitos, qui leges suas eruditissimè ad effectum perducant.

Tertiò Antecessoribus decernenda sunt opima & certa stipendia. Nam æris inops Virgilius vnum celebrauit Culicem, qui ab Augusto acceptis maioribus stipendijs Æneidem composuit. Nec dicendum est ita mercenariam fieri Iurisprudentiam: Mille siquidem frumenti modij, quos Aristippus à Dyonisio accipiebat quotannis, eum non faciebant Sophistam, cum nihil à discipulis acciperet, *Themistius in orat. 4.* quodque princeps professori soluerit, Eumenius vocat illud *adoratum salarium*, semper enim ad eius honorem pertinet, quòd dignus sit liberalitate principis. Sed & alia erit adhuc istius rei vtilitas non minima: Quód non ampliùs triobolares quidam scioli, aut triduani Iurisconsulti, ad petendum Antecessoris munus accedent, sed tantùm primæ notæ studiosi: Nam vbi est Helena, ibi plures viri magni pro ea decertant, sed pro Arethusa, vel Polydora, soli calones, aut lixæ.

Denique à Christianissimo Rege petendum est, vt cuilibet iurium facultati Ecclesiastica beneficia concedat & vniat: Nec me latet, quàm statim durum illud videatur Clericis, quasi Antecessores vt plurimùm laici, & coniugati omninò sint eorum incapaces. Sed Origenes adhuc laicus Alexandriæ docens, accipiebat annonas Ecclesiasticas. Ac ne nouum etiàm commentum illud videatur, desumptum illud habeo ex generali Concilio Viennensi, sub Clemente quinto, & Philippo Pulchro: Vbi constitutum fuit, *vt in qualibet Academia instituantur professores linguarum Orientalium: & vt Prælati, Capitula, Monasteria, Conuentus, Collegia, exempta & non exempta, & Ecclesiarum Rectores ijs Professoribus prouidere teneantur, in competentibus stipendijs & sumptibus* PER REGEM FRANCIÆ. Et hoc rationi maximè consentaneum, vt Ecclesia professoribus stipendia præbeat, cuius præcipuè interest erudiri fideles, & cui eorum eruditio incumbit ex sacris Canonibus.

Verùm ne vllum fortè tributum Ecclesiæ imponatur, quæ omninò libera esse debet: Iacobus Rex Angliæ facilem hanc viam adinuenit, pro iuris ciuilis professoribus in Academia Oxoniensi, quam exscribit Arthurus Ducius *lib. 2. de authoritate iuris ciuilis cap. 8. num. 37.* ijs verbis, *& in Academia Oxoniensi serenissimus*

D.

D. Iacobus professoribus iuris ciuilis , præter annuum salarium ; præbendam seu Canonicatum in Ecclesia Cathedrali Saresberiensi , in perpetuam Elemosynam contulit : quod concessionis genus apud nos ab oneribus maximè solutum est. Non videar καινότομος *nouitatis studiosus* , quem veluti manu ducunt generale Concilium , & regium exemplum.


Contrà illud εὕρημα non pugnat , quòd Ecclesiastica beneficia , quæ titulum habent , in Galliâ vniri non possint , nisi cum alijs similibus beneficijs , qualis non est Academia , aut etiàm iuris vtriusque facultas. Nam respondendum est primò , facilè summum Pontificem confirmaturum esse hanc vnionem , per interpretationem , aut in vim generalis Concilij Viennensis , & in fauorem studiorum. Secundò in qualibet Galliæ prouinciâ pleraque esse beneficia , quæ ad solam & liberam regis collationem pertinent , & in quibus ordinarius ille est , & vnicus collator : Ea videntur potius prophana , quàm Ecclesiastica beneficia , *inquit Molinæus ad regulam de infir. resig. num. 417.* Et ita fortè solus ipse Rex Christianissimus , ea vnire posset facultatibus iurium , quæ instar suarum Vniuersitatum , mixta sunt corpora , partim Laica , partim Ecclesiastica. Tertiò cum in Gallia pleraque sint beneficia in commendam , quæ solâ fictione iuris , & contra receptas iuris Canonici Regulas habentur in titulum , à Christianissimo Rege facultatibus iurium vniri facilè possunt. Ac tandem Ecclesiastica beneficia vniuntur quotidiè fabricis , aut matriculis Ecclesiasticis , & quidem ad vsum ipsius Ecclesiæ : Cur non facultatibus iurium ? ad eruditionem fidelium , quæ admodùm vtilis erit Ecclesiæ.

Christianissimo igitur Regi supplicandum est , vt ita sit nobis iurisperitus Apollo : Vt ita sub eo summa ciuilis sapientia spiritum , sanguinem , & patriam recipiat in eius Academijs. Sicut olim Sertorius tironum electioni sedulò vacabat , quasi fundamentum Romani nominis , & vires imperij consisterent , in primâ illa delectuum examinatione , *ait Vegetius lib. 1. cap. 7.* Ita & à Christianissimo Rege petendum est , vt in se spem Gallici fori suscipiat , & inter suas grauiores curas , ipsos etiam iuris studiosos deputare non dedignetur , cum ab ijs

pendeant firmiſſima totius rei iudiciariæ fundamenta : Vt ijs nullas ſuperindictiones patiatur imponi, quibus tot priuilegia, tot immunitates conceſſerunt olim Carolus Magnus, Philippus Auguſtus, Carolus Sapiens, Henricus Magnus, Ludouicus Iuſtus, & omnes alij retroprincipes. Sic poſteri iure vocabunt eum Muſagetem Herculem : Sic nobis erit alter magnus Melchiſedec, quem ſacri Codices vocant *regem pacificum*, *&* *regem litterarum parentem*, *ac vindicem*. Primum hunc triumphalem titulum magnificè, ac glorioſè aſſequutus eſt pridèm, dùm toti Europæ pacem dedit: Alterum inſtar omnium Heroum ſibi vindicet, precantur Muſæ, vt ſuis carminibus Heroicas eius virtutes, & generoſa facinora non nobis tantùm colenda, & admiranda relinquant, ſed ipſis etiàm poſteris.

FINIS.





00526718З

